
FIDE ET VIRTUTE
W. E. Gladstone
St. Deiniol's Library
Hawarden, Clwyd
Founded by
The Rt. Hon. W. E. Gladstone
CANCELLED

C
52 E
12

ST. DEINIOL'S LIBRARY,
CANCELLED

no subj.

[. Eusebius (Bp of Caesarea)
Jerome (Saint)
in author cat.]

E. DEINIOL'S LIBRARY,
HAWARDEN.
CANCELLED

EVSEBII PAMPHILI

CHRONICI CANONES

LATINE VERTIT, ADAVXIT, AD SVA TEMPORA PRODVXIT

S. EVSEBIVS HIERONYMVS

EDIDIT

IOHANNES KNIGHT FOTHERINGHAM,
A. M., LITT. D.
IN OBSERVATORIO ACADEMIAE OXONIENSIS ADIVTOR,
COLLEGII B. MARIAE MAGDALENAE APVD OXONIENSES OLIM SOCIVS,
HISTORIAE ANTIQVAE IN ACADEMIA LONDINENSI OLIM PRAELECTOR

VENIT LONDINII
APVD
HVMPHREDVM MILFORD
BIBLIOPOLAM ACADEMIAE OXONIENSIS

MCMXXIII

5792

Vindobonae. Typis descripsit Adolphus Holzhausen.

EDITORIS PRAEFATIO.

DE TITVLO ET VERSIONIBVS.

EVSEBIVS Pamphili episcopus Caesariensis duos Chronicorum libros scripsit. Frustra huic opinioni aduersatur Eduardus Schwartz,[1] priorem partem non librum sed praefationem tantum fuisse et opus totum χρονικοὶ κανόνες καὶ ἐπιτομὴ παντοδαπῆς ἱστορίας Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων nuncupatum esse arbitratus. Aliter beatus Hieronymus, qui (p. 6, 5 infra), cum Eusebius priorem partem uerbis ἐν μὲν τῇ πρὸ ταύτης συντάξει[2] indicauisset, haec uerbis «in priori libello» uertit. Et ipse Eusebius nomen «secundum» parti posteriori affigit,[3] eandemque sub titulo «Chronicon Canone» a parte priore discernit.[4] Vnde liquet nomen «Chronicos canones», quo Eusebius, *Ecl. proph.* I,[5] *Praep. euang.* X. 9,[6] *Historia eccl.* I. 1, 6,[7] utitur, ad secundum tantum librum referri. Similiter Georgius Syncellus partem posteriorem nomine κανόνι citat. Vide ipsius uerba ἐν τῷ τοῦ κανόνος αὐτοῦ προλόγῳ,[8] ἐν τῷ προοιμίῳ τοῦ κανόνος,[9] quibus ad nostram p. 6 refertur, atque iterum ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ,[10] quocum conferendae sunt huius editionis pp. 35, 70, 74, 82, 86, 94, 100. Vide etiam Anonymi *Chronographiam Syntomon*,[11] ubi leguntur ἐν τοῖς προοιμίοις τοῦ κανόνος, quibus ad p. 13 infra refertur. Chronicorum pars prior in uersione Armeniaca titulum «Chronographiam» habet.[12] Eandem partem Eusebius ipse in commentariis quae in Isaiam scripsit, χρονικὰ συγγράμματα nuncupat.[13] Item Syncellus[14] eam

---

[1] Sub uoce *Eusebios* apud Pauly-Wissowa, *Real-Encyclopädie der classischen Altertumswissenschaft*, VI (1909), 1376.

[2] Eusebi Chronica, ed. Schoene, II (1866), p. 4.

[3] Vide ipsius *Die Chronik*, ed. Karst (1911), p. 4, «diesem zweiten».

[4] Ibid., p. 3, et rectius p. 240, «dem Chronikon — zeitlichen — Kanon».

[5] Migne, *Patr. Graec.* XXII (1857), 1024 A.

[6] ed. Gifford (1903), p. 34.

[7] ed. Schwartz (1903), p. 8.

[8] ed. Dindorf (1829), p. 118.

[9] Ibid. p. 122.

[10] Ibid. pp. 125, 311.

[11] ed. Bauer (1909), p. 19.

[12] *Die Chronik*, ed. Karst, p. 1, «Des Eusebios Chronographie ist dieses».

[13] *Commentaria in Isaiam*, XIII. 17. — Migne, *Patr. Graec.* XXIV (1857), 189 A.

[14] p. 64.

summam temporum, quae in editione Karstiana p. 62 inuenitur, ἀνακεφαλαίωσιν τοῦ χρονογραφείου nominat. Apud eundem Syncellum uerba ἐν τοῖς χρονικοῖς αὐτοῦ[1] atque iterum χρονικὴν συγγραφήν[2] ad partem priorem referuntur. Titulus communis horum duorum librorum nusquam apud Eusebium reperitur, sed nomen «Chronica» — numerum pluralem dico — apud Rufinum[3] habetur. Apud Hieronymum autem plura nomina occurrunt. Liber alter nuncupatur «Chronicon omnimodae historiae»,[4] «Chronicum»,[5] χρονικόν,[6] «Digestio temporum»,[7] «Temporum canones»,[8] «Temporum liber»;[9] opus totum «Chronicorum canonum omnimoda historia et eorum ἐπιτομή».[10] Nomen «Chronica» plerique recentiorum et potissimum Aluredus Schoene usurpauerunt, quapropter idem retinendum censui. Editores Berolinenses, nullo titulo Latino usi, «Die Chronik» hoc opus nuncupant.

Haec nomina, Chronica et Chronici Canones, non noua Eusebii temporibus erant. Apollodorus enim Atheniensis[11] poemati suo, in quo res gestas temporum ordine secundum archontum Atheniensium seriem[12] tractauit excursusque de uirorum doctorum uitis addidit, titulum «Chronica», imposuit.[13] Postea hoc uerbo indicabatur quicumque liber res gestas summatim et tabulatim temporum ordine digestas tractabat. Nomen «Canones» paene eundem sensum reddit. Hac enim uoce Dionysius Halicarnassensis[14] rationem Chronographiarum Eratosthenis descripsit. Nomen plenius «Chronici Canones» apud Plutarchum in Vita Solonis[15] primum, nisi fallor, inuenitur. Videtur tabulas significare uoluisse in quibus ordo regum et rerum gestarum ad terras diuersas pertinentium per fila parallela oculis subicitur.

---

[1] p. 12.

[2] p. 318.

[3] *Eusebii eccl. hist.* I. 1, 6, ed. Mommsen (1903), p. 9.

[4] *De uiris illustribus*, CXXXV, ed. Richardson, *Texte und Untersuchungen*, XIV (1896), p. 55.

[5] *In Danielem* IX, Migne, *Patr. Lat.* XXV (1845), 547.

[6] Epist. LVII, *ad Pammachium*, 5, ed. Hilberg (1910), p. 510.

[7] *Contra Rufinum*, I. 11, Migne, *Patr. Lat.* XXIII (1845), 405 B.

[8] *Eusebii Onomasticon*, ed. Klostermann (1904), p. 3.

[9] Ibid. post paucos uersus.

[10] *De uiris illustribus*, LXXXI, ed. Richardson, p. 43.

[11] Gellius, *Noctes Atticae*, XVII. 4, 5, ed. Hosius (1903), uol. II, pp. 196, 197.

[12] F. Jacoby apud A. Kiessling, *Philologische Untersuchungen*, XVI (1902), pp. 57, 58.

[13] Nomen simile χρονικὰ σύνταξις a Timachida anno 99 ante Christum multis operibus historicis datur, Agelochi uidelicet, Agestrati, Aristionis, Nicasyli, Onomasti, Timocriti, Xenagorae, Zenonis. Legatur *Die Lindische Tempelchronik*, ed. Blinkenberg (1915), passim et praesertim p. 48. Idem nomen, quod animaduertit Blinkenberg, *Exploration Archéologique de Rhodes (Fondation Carlsberg), VI, Académie royale des sciences et des lettres de Danemark, Bulletin de l'année 1912*, No. 5—6, p. 411, apud Diodorum, XIII, 103, 5, Apollodori Chronica designat. De Chronicis antiquis, et praecipue de Eusebii Chronicis uideat lector quae scripsit Gulielmus Kubitschek sub uoce *Königs-, Priester-, Eponymen-, Beamtenverzeichnisse* apud Pauly-Wissowa, *Real-Encyclopädie*, XI (1921), 996—1033.

[14] *Antiq. Rom.* I. 74, ed. Kiessling et Prou (1886), p. 54.

[15] cap. XXVII.

In priore libro «Chronographia» insignito, multa excerpsit Eusebius e scriptoribus chronologicis ad antiqui orbis terras pertinentia, inter quae regum series et seriem uictorum Olympiacorum comprehendit. In libro altero, quem, ut uidimus, «Chronicos canones» nominauit, disposuit in filis et spatiis parallelis annos Abrahae, annos olympiadum, annos regum diuersorum, necnon lemmata res singulis annis gestas narrantia.

Textus Graecus deperditus est, sed partim per loca de eisdem fontibus hausta, partim per excerpta, quibus abundant scriptores posteriores et praecipue Georgius Syncellus, magna ex parte redintegrari potest. Quae fragmenta Graeca optime in editione Aluredi Schoene consuli possunt: addenda sunt loca quaedam quae apud anonymum Matritensem repperit Adolphus Bauer.[1]

Extat quoque uersio Armeniaca, quae olim opus totum continebat, hodie autem libri prioris finis atque initium et finis libri alterius desunt. Quae uersio Latine reddita, curante Henrico Petermanno, apud editionem Aluredi Schoene, Germane reddita, curante Iosepho Karst, in quinto tomo editionis operum Eusebii, quam academici Borussici parant, adiri licet.

Necnon habemus epitomen quandam ieiunam Syriacam[2] et chronica anonymi cuiusdam monachi olim per errorem Dionysio Telmaharensi tributa, in quibus multa ex Eusebio excerpta sunt.[3]

Celeberrimam autem uersionum omnium fecit beatus Hieronymus, quam nunc in manus damus. Chronicos canones non modo uertit Hieronymus, sed multa de Romanis praesertim rebus interposuit, totumque de uicennalibus Constantini usque ad mortem Valentis produxit. Chronographiam non tetigit; quod opus ergo aliorum studiis relinquo.

DE EDITIONIBVS.

Chronica Hieronymiana primus edidit Boninus Mombritius circa annum 1475. Impressit Mediolanii Philippus Lauania. Haec editio uere mirabilis sola omnium quae ante Helmianam editae sunt iustum ordinem filorum et spatiorum conseruat. Paene idem paginarum discrimen exhibet, quod in codice *T* uidetur, 26 lineas unicuique paginae allocans, atque eodem cum codice olympiadum seriem post ol. CCXLVIII confundit; quamquam codicum ueterum ordinem seruat, eam pericopam continet, qua codex *X* et multi recentiores ordinem suum exponunt, quae res parum miranda est, quia codices *T* et *X* coniunctissimi genere sunt. Magno opere deflendum est editores posteriores Mom-

[1] Vide eiusdem opera *Anonymi Chronographia Syntomos* (Lipsiae 1909) et *Beiträge zu Eusebios und den byzantinischen Chronographen, Sitzungsberichte der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften,* 162. Band, 3. Abh. (Vindobonae 1909).

[2] Edidit Schoene apud Eusebi Chronica, I (1875), pp. 53—57, II, pp, 203—219.

[3] Ediderunt Siegfried et Gelzer sub titulo *Eusebii Canonum Epitome ex Dionysii Telmaharensis Chronico petita* (Lipsiae 1884). De uero auctore uide F. Nau, *Bulletin critique,* 2me série, II (1896), pp. 321—327, et Th. Nöldeke, *Vienna Oriental Journal,* X (1896), pp. 160—170.

britii editionem omnino neglexisse; nemo enim ante Rodolphum Helm, nisi fortasse Scaliger, textum accuratiorem edidit.

Fons editionum posteriorum est ea quam Erhardus Ratdolt, primus Germanorum, edidit et Venetiis impressit anno 1483. Filorum ordinem corrumpit, textum ualde deteriorem exhibet, non tamen ita prauum ut a sequentibus editoribus deprauari nequierit. Spatium historicum non habet, lemmata per omnia fila distribuit; coloribus rubro et nigro distincta similitudinem quandam pristinae uarietatis asseruat. Haec quoque eam de ordine pericopam continet, quam in codice *X* et in editione Mombritii inuenimus.

Henricus Stephanus anno 1512 Parisiis atque ibidem anno 1518 editionem Venetam non multum mutauit. Eundem ordinem, eandem paginarum diuisionem, idem colorum discrimen, textum aliquibus in locis castigatum, in pluribus fortasse deprauatum, exhibet.

Quem secutus est Ioannes Sichardus, cuius editionem impressit Henricus Petrus Basileae anno 1529. Varietate colorum omissa, paginarum diuisione mutata, ordinem rerum et textum, quem apud Stephanum inuenit, satis asseruat, saepius autem corrumpit quam emendat. Haec editio saepius impressa est, Basileae uidelicet non modo 1529 sed etiam 1549, 1559, 1570, et Parisiis 1581.

Praecipuum sibi inter editores locum uindicant Arnaldus Pontacus et Iosephus Iustus Scaliger, quorum editiones paene simul, illius Burdigalae 1604, huius Lugduni Batauorum 1606 in lucem prodierunt. Arnaldus Pontacus episcopus Vazatensis uberrimum apparatum criticum his chronicis coniunxit, et, quoniam inter suos codices nostros *OBFPC* (non nusquam etiam *S*) numerabat, licuit illi textum admodum purum edere, sed, editioni Sichardi nimis caute adhaerens, accuratiorem quidem textum quam ille et Stephanus praebuit, eorum tamen in textu mendas maiore ex parte et falsum ordinem rerum editoribus posterioribus tradidit.

Scaligeri opus, «Thesaurus temporum» inscriptus, magna moles est doctrinae. Non enim contentus chronica Hieronymiana edere, fragmenta Graeca Eusebii contulit, et ipsum Eusebium et Latine et Graece lectori praebere conatus est. Eorum codicum ordinem secutus est, qui ut *X* noster, filis regnorum laeuam, spatio historico dextram paginae partem assignant, nec usquam lemmata uni tempori propria per paginas duas distribuunt. Huic ordini congruit pericopa illa quam ut omnes ante Aluredum Schoene editores retinet. Filorum ordinem eundem quem codex *X* conseruat, coloribus rubris et nigris sicut codex ille gaudet. Editiones aspernatus fretus est partim codicibus partim ingenio suo, nec plus, credo, ingenio suo quam alii auctoritate priorum deceptus est. Inter alios codicibus nostris *BFP* usus est. Huius operis editio auctior curante Alexandro Moro in lucem prodiit Amstelodami anno 1658, in qua editione colorum diuersitate omissa, textus non mutatus, animaduersiones locupletiores continentur.

Anno 1608 edidit Aubertus Miraeus Antuerpiae rerum toto orbe gestarum chronica, in quibus primum locum dedit Eusebii et Hieronymi chronicis. Eusebii chronica non

nisi a Christi natiuitate edidit et codicem nostrum *A* plerumque secutus uitia Ratdolti, Stephani, Sichardi, Pontaci uitauit.

Editionem Pontaci recensuit Dominicus Vallarsius in tomo octauo Hieronymi operum, quem Veronae edidit anno 1740. Pontacum saepe, utinam saepius, correxit, fragmenta Graeca in calce cuiusque paginae adhibuit, commenta sua et lectiones uarias addidit, Pontaci apparatum et animaduersiones subiunxit. Haec editio iterum impressa est inter Hieronymi opera Venetiis annis 1766—72 et tertium Parisiis a Iacobo Paulo Migne in *Patrologia Latina,* tom. XXVII anno 1846. Eandem editionem perpaucis rebus mutatis dedit lectoribus suis Roncalli in *Vetustioribus Latinorum scriptorum chronicis* Patauii anno 1787.

Editionem omnium prauissimam publici iuris fecit Angelus Maius Romae 1833. Spatia historica duo etiam in parte posteriore canonum retinuit, lemmata, modo secundum uersionem Armeniacam, modo arbitrio suo, per spatia uel etiam per totam paginam disposuit, ordinem rerum nullam ut apparet ob causam transmutauit, uerba et sententias nulla fretus auctoritate sua sponte corrupit. Fragmenta Graeca subiunxit. Hanc editionem iterum impressit Parisiis anno 1857 Iacobus Paulus Migne in *Patrologia Graeca,* tom. XIX.

Studiis Eusebianis et iuuenis et senex se totum dedit uir a nullo doctrinae genere alienus, Aluredus Schoene. Graeca fragmenta, uersionem Armeniacam (curante Henrico Petermanno), uersionem Hieronymianam filis parallelis in editionis suae uolumine altero Berolini 1866 impresso exhibuit, quibus ad finem excerpta Syriaca adiecit. Si quis igitur haec conferre uult, nusquam nisi apud Schoene omnia in uno uolumine inueniet. Sed qui tres linguas parallelas ponit, non potest eodem tempore Hieronymi filorum et spatiorum ordinem reddere. Litteris ergo ad annos et ad lemmata appositis iustum cuiusque rei locum indicare conatus est. Nostrorum codicum fretus est *ABFP,* non nusquam *S,* sed maxime *B,* quo codice deceptus textum nimis corruptum edidit; horum codicum sua manu descriptorum lectiones minore cura quam nostrae aetatis editores habere solent in apparatu exhibuit. Sed quae in editione uitia admisit, ipse in operibus recentioribus corrigere uel saltem aliis quomodo corrigi possent indicare conatus est. Idem anno 1875 Eusebii Chronicorum uolumen prius edidit, cui libro inter multa ad nostrum opus parum pertinentia adiectae sunt discrepantiae codicis nostri *M* curante uiro in omni parte artis chronologicae clarissimo Francisco Ruehl et codicis cuiusdam Vaticani Regii siue Fuxensis curante Richardo Schoene.

Non sine pudore fatendum est post tot uirorum doctorum labores nullum prodiisse textum dignum cui confideretur; Schoene enim apparatum potius quam textum aliis praebuit, et quisquis chronica Hieronymiana citabat, omnes codices Schoenianos unumquemque ad locum citare cogebatur. Mox per Theodorum Mommsen[1] ad notitiam rediit

[1] *Hermes,* XXIV (1889), pp. 393—401.

codex noster *O*. Inde Schoene ipse in libro quodam *Die Weltchronik des Eusebius in ihrer Bearbeitung durch Hieronymus* (Berolini 1900) insignito de quaestionibus ad textum pertinentibus doctissime disseruit, quas ego breuius tractaui in praefatione quam editioni photographicae codicis *O* praefixi Oxonii 1905. Interea innotuerant alii bonae notae codices de quibus et Schoene et ego non nihil in eisdem operibus scripsimus et de quibus infra disseretur. Priorum ergo studiis materie critica tanto opere adaucta, cuiusuis iam erat textum ualde accuratiorem edere.

Duo prope simul ad hoc opus accincti sumus, Rodolphus scilicet Helm Academiae Borussensis et ego collegii Beatae Mariae Magdalenae apud Oxonienses subsidio adiutus. Rodolphus Helm prius sui operis uolumen Lipsiae 1913 publici iuris fecit. Textum et apparatum, qui ad tempora pertinet, accepimus. Editoris praefationem, apparatum qui ad lectiones pertinet, fragmenta Graeca, loca parallela adhuc expectamus. Quae editio textu uix quicquam, multum specie ab editione mea discrepat; rapide legenti parum apta est, textus enim, non characteribus usitatis sed septimi saeculi uncialibus scriptus, photographice impressus est. Accedit ut discrimen, quod inter scripturam rubram et nigram, grandem et paruam codices exhibent, omnino neglectum sit. Porro codice *B*, quem Schoene ipse non iam primae notae iudicabat, in apparatu retento, *L* in eundem introducto, *F* a Pontaco, Scaligero, Schoene inter optimos habitus extrusus est, de *Q* et *T*, quamquam codicibus *B* et *L* multum praestant et quamquam de eisdem breuiter disserueram, omnino siletur. Apparatus hic illic a meo differt, quod minime mirandum est, nam ut ipse Helm monstrauit, saepe difficile est cognoscere, cui anno quodque lemma adiungere scriba uoluerit. Sed Helm nulla certa norma temporum notas interpretatus saepius quam uellem in errorem incidisse mihi uidetur. Adde quod interdum apparatus in latere paginae impressus annorum numeris intermixtus est. Quas omnes ob causas editio illa spem mihi non ademit utilioris editionis in publicum prodendae.

DE CODICIBVS.

Codices Hieronymiani paene innumerabiles in bibliothecarum catalogis inueniuntur. Quos si quis inspicere conatus sit, operae pretium certe non fecerit. Miro enim casu huius quarto saeculo scripti operis habemus codicis cuiusdam quinto saeculo scripti maiorem partem, necnon codicis alterius eiusdem aetatis non modo uiginti folia, sed etiam apographa duo quae opus totum continent. Accedunt duo septimi, duo octaui, tres, ut uidetur, noni, tres decimi saeculi codices. Vere ingratissimus esset, si quis tam larga materie praeditus, codices recentiores perscrutandos esse censeret. «O fortunatos nimium sua si bona norint» editores. His antiquioribus codicibus magna ex parte ab editoribus neglectis contentus, textum instaurare conatus sum. De quibus hic breuiter disserendum est.

Oxoniensis Bodleianus Auct. T. II. 26.[1] De hoc codice minus necesse est ut multa *O* hic scribam, quod in opusculo supra citato[2] longius de eodem disserui. Pauca tamen hic repetam. Codex est saeculi v, quod intellexit Ludouicus Traube.[3] Archetypus codicis (non, ut per errorem Mommsen[4] et Traube[5] arguebant, archetypus recapitulationis codici affixae), ut ipse in opusculo[6] demonstraui et clarius exposuit Eduardus Schwartz,[7] anno 442 scriptus est. Frustra contendit Traube, cum sine supplemento ulteriore summa temporum exhibeatur, archetypo recapitulationem non posse multo recentiorem esse. Nam, quod in opusculo[8] demonstraui, multi posterioris aetatis codices circa hoc tempus summam temporum terminant. Non ergo, ut Traube, 450 terminus ad quem poni debet, sed potius 442 terminus a quo; quam ob rem codex posteriori dimidio V saeculi esse tribuendus uidetur. Helm «scl. v/vi» scribit. Palaeographi quorum priuatim opiniones mihi adlatae sunt, in saeculum v consentiunt. Italicam, iudice Traube,[9] repraesentat scripturam. Codex continet Chronica Hieronymiana cum recapitulatione et Marcellini Comitis Chronicon. Ff. 1—32 suppleuit manus Francogallica saeculi xv a codice quodam ad familiam *TXC* pertinente. Ff. 33—144, numero 60 bis usurpato, codicem nostrum constituunt. Huius partis lectiones in apparatu critico exhibeo. Incipit ad paginam nostram 69, 13 et desinit ad p. 330, 25. Recapitulationem praebuit manus paene aequaeua. Marcellinum addidit manus alia circa annum Domini nostri 600. Textus uncialibus rectis scriptus est, et eandem scripturam exhibent pauca quaedam ex archetypo descripta marginalia. Accedunt alia marginalia uncialibus obliquis scripta, quorum pars maior lemmata e textu selecta breuiter repetunt. Haec, ut in opusculo demonstraui,[10] in codicem iam finitum ex alio codice 26 in omni pagina lineas habente descripta sunt. Codex ipse 30 lineas cuique paginae partitur. De marginalibus a manu Gallica saeculo XV additis in opusculo, pp. 27—29, disserui. Haec in praesenti editione praetereo; codicis enim historiam, non Chronicorum textum illustrare possunt. Codice a Ioanne Tilio,[11] episcopo Meldensi, qui anno 1570 mortuus est, commodato usus est

[1] Non Auct. T. II. 6, ut Th. Mommsen, *Hermes*, XXIV, p. 393, et iterum in *Chron. Min.*, II (1894), p. 48. Correxit *Chron. Min.*, III (1898), p. 725. Erroris particeps est Schoene, *Weltchronik*, p. 29.

[2] *The Bodleian Manuscript of Jerome's Version of the Chronicle of Eusebius reproduced in Collotype* (Oxonii 1905).

[3] *Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta Leidensia, Parisina, Vaticana* (Lugduni Batauorum 1902), p. X. Item apud *Nomina Sacra* (Monachii 1907), pp. 153, 170, 190. Sed p. 105 per errorem, ut in opere post scriptoris mortem edito expectandum erat, «saec. iv» scriptum est.

[4] *Chron. Min.*, II, p. 49.

[5] *Cod. Flor. frag.*, loc. cit.

[6] pp. 25, 26.

[7] *Berliner Philologische Wochenschrift*, XXVI (1906), 746.

[8] p. 25.

[9] Op. cit., p. XII.

[10] pp. 23, 24.

[11] De Tilio et eius libris lege Cuthbertum Hamilton Turner, *Jean du Tillet: a neglected scholar of the sixteenth century*, Appendicem V opusculi mei quod de hoc codice scripsi, pp. 48—63, et eundem in *The Journal of Theological Studies*, XII (1910), pp. 128—133.

Arnaldus Pontacus, qui multos post annos in editione sua Chronicorum sub nomine Meldensi et signo M lectiones in apparatu citauit. Deinde, forsitan a Ioanne Tilio iuniore mutuatus, cui, teste Leopoldo Victore Delisle,[1] patrui codices hereditate uenerunt, codice usus est Iacobus Sirmondus in editione Marcellini Comitis quae Parisiis anno 1619 in lucem prodiit. Fortasse per Sirmondum uenit codex ad collegium Claromontanum, quocirca eundem «Collegii nostri Parisiensis» nominauit Iacobus de la Baune,[2] nec nominauit tantum, sed de eodem traxit emendationes.[3] In catalogo bibliothecae Claromontanae anno 1764 facto numero 638 insignitus est; eo tempore, nondum ligatus, 196 folia, quod uix credendum est, habuisse dicitur; nunc 179 tantum continet. Codex, uendita anno 1764 bibliotheca Claromontana, in Meermanianam (n. 741) uenit, unde Thoma Phillipps equite, ut nepos eius mihi asseuerauit, recusante contra Thomam Gaisford pretium offerre, non ut *MN* ad Medium Montem, sed ad bibliothecam Bodleianam uenit, ubi nunc restat.

De hoc codice scripserunt:

Arnaldus Pontacus, Chronica Trium Illustrium Auctorum (1604), p. 28.

Iacobus Sirmondus, Marcellini V. C. Comitis Chronicon (1619), f. a ii a.

Iacobus de la Baune, in Sirmondi operibus uariis, II (Paris. 1696), f. a ii b.

Theodorus Mommsen, Die älteste Handschrift der Chronik des Hieronymus, Hermes, XXIV (1889), pp. 393—401, 649, iterum impressum in Gesammelte Schriften, VII (1909), pp. 597—605.

Ernestus Georgius Hardy, The Bodleian Manuscript of Jerome's Eusebian Chronicle, Journal of Philology, XVIII (1890), pp. 277—287.

The Palaeographical Society, Facsimiles, Ser. II, Part VII (1890), pll. 129—130.

Eduardus Williams Byron Nicholson, The Bodleian MS. of Eusebius's Chronicle, Journal of Philology, XX (1892), p. 134.

Eduardus Maunde Thompson, eques, Greek and Latin Palaeography (1893 et iterum 1903), p. 197; idem, Introduction to Greek and Latin Palaeography (1912), pp. 299, 302.

Theodorus Mommsen, Chronica Minora, II (1894), pp. 48—50.

Falconer Madan, Summary Catalogue of Western MSS. in the Bodleian Library, IV (1897), p. 441, n. 20632.

Aluredus Schoene, Die Weltchronik des Eusebius (1900), p. 29 et passim.

Ludouicus Traube, Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta Leidensia, Parisina. Vaticana (1902), pp. X—XII.

Anonymus quidam, The Athenaeum (1903) n. 3956, pp. 251, 252.

Iohannes Knight Fotheringham, The Bodleian Manuscript of Jerome's Version of the Chronicle of Eusebius, reproduced in Collotype (Oxonii 1905).

Anonymus quidam, The Church Quarterly Review, LXII, no. 123 (1906), pp. 179—181.

Eduardus Schwartz, Berliner Philologische Wochenschrift, XXVI (1906), 744—752.

Iulius Parnell Gilson, The Classical Review, XX (1906), pp. 462—464.

---

[1] *Cabinet des Manuscrits*, I (1868), p. 285.

[2] Praefatio in Sirmondi opera uaria, II (Parisiis 1696), f. a ii b.

[3] Theodorus Mommsen, *Chron. Min.*, II, p. 48.

Ludouicus Traube, Nomina Sacra (1907), pp. 105, 153, 159, 170, 190.

Eduardus Schwartz, Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie, VI, Eusebios (1909), 1380.

Franciscus Steffens, Lateinische Paläographie, 2te Auflage (1909), pl. 17, qui plenissime scripturam tractat.

Paulus Lehmann in Ludouici Traube Vorlesungen und Abhandlungen, Zur Paläographie und Handschriftenkunde (1909), p. 209.

Iohannes Lietzmann, Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie, VIII, Hieronymos (1913), 1570—1575.

De hoc codice descendunt codices tres:

1. Vtinensis bibliothecae archiepiscopalis ot° 14. *U*

2. Paris. Lat. 4870. *W*

3. Oxoniensis Bodleianus Canonicianus Patr. Lat. 96, xv saeculo a Daniele Victurio scriptus, de quo disseruit uir doctissimus Henricus Marriott Bannister,[1] quem nuper morte abreptum Romani et Oxonienses aequis lacrimis deflemus. Continet praeter ea quae codex *W* infra, Nicolai de Lyra libellum contra Iudaeorum perfidiam, epistulam quandam Rabbi Samuelis, necnon Hieronymi a Sancta Fide contra Iudaeorum perfidiam et Talmuth librum alterum.

De codicis *O* nepotibus in opusculo[2] disserui, sed pauca hic repetam. Non omnia, sed omnes eadem continent lemmata, inter quae unum saltem ex marginalibus obliquis; quae marginalia, ut supra scripsi, e codice quodam 26 in quaque pagina lineas exhibente, in *O* iam perfectum descripta sunt. Sed codicem Canonicianum cum *O* nostro collatum inueni non temporum sed paginarum ordinem sequi; e laeua enim codicis *O* pagina lemmata prius seligit quam dextram attingit, et hoc in prima quoque Canonum parte, ubi lemmata in codicibus melioribus per utramque paginam dispersa sunt. Non ergo ex archetypo marginalium illorum obliquorum descripti sunt hi codices, sed ex *O* ipso, qui primus marginalia ea cum suo proprio paginarum discrimine coniunxit.

U codicem xi saeculo scriptum nusquam cito nisi ubi *O* deest. E codice adhuc perfecto descriptus aliquid, sed non multum prodesse potest; plura enim corrumpit quam seruat. Codex rubro et atro coloribus distinctus continet Bedae chronicon, notitiam «de septuaginta duabus linguis», utramque Chronicorum Hieronymianorum praefationem, eorundem chronicorum lemmata selecta, notitiam de uitis imperatorum, Marcellini Comitis Chronici lemmata selecta. Desinunt subito Chronica Hieronymiana ad uerbum «lacri...» p. 331, 6 infra; inde subito incipit notitia de imperatoribus ad uerba, «abhinc consules». Credidit Theodorus Mommsen e codice, ego ex archetypo duo folia intercidisse. Vide opusculum meum, p. 65. In eodem opusculo exhibentur apographa photographica earum paginarum, quae ea continent quae codici *O* desunt.

W codicem xiv saeculo scriptum nusquam cito nisi ubi et *O* et *U* desunt, id est a p. 331, 5 ad finem chronicorum. Eadem quae *U* continet, sed non eodem ordine;

[1] *The Bodleian Quarterly Record*, II (1917), p. 52.

[2] pp. 64, 65.

Bedam enim et notitiam de septuaginta duabus linguis post Marcellinum habet. Post Chronica Hieronymiana idem supplementum quod codex *O* habet, et notitiae de uitis imperatorum notitiam de regibus praefigit. De eodem archetypo de quo *U*, ut uidetur, descriptus est. Apographa photographica paginarum ea continentium quae codicibus *O* et *U* desunt, in opusculo meo extant.

S Fragmenta Floriacensia, per bibliothecas Vaticanam (Reg. Lat. 1709, ff. 34, 35), Parisinam (Lat. 6400 B, ff. 1—8, 285—290), Lugduno-Batauam (Voss. Lat. Q. 110[a]) dispersa primus intellexit Aluredus Schoene[1] unius et eiusdem codicis esse. Idem de fragmentis Vaticanis et Lugduno-Batauis se suspicari in editionis praefatione[2] professus erat. Fragmenta Petauiana, nunc Lugduno-Bataua, usurpauerunt Pontacus et Schoene, fragmenta omnia Helm. Fragmenta collegit et photographice edita doctissime praefatus est Ludouicus Traube. Haec fragmenta paulo, ut uidetur, post *O* scripta, ad v, seu forsitan ad vi, pertinent saeculum. Codex in Italia scriptus, ut testatur Traube,[3] adhuc perfectus saeculo ix in monasterio Floriacensi (hodie Fleury) asseruabatur, unde de eo, ut demonstrabitur, descripti sunt codices *P* (Miciacensis) et *N* (Turonensis). Eodem saeculo inscripsit quidam in prima fragmentorum Parisinorum pagina — *codex beati Benedicti Floriac.* Quaterniones minute tractauit Traube, unde uidetur codicem in f. 167[b] desiisse, f. 168 colophoni reseruatum esse. Continet pp. 81, 82, 91, 92, 95—116, 121—126, 181—184, 303, 304, 309—312, 317, 318 huius editionis. Corrigere uolo quod in opusculo, p. 3 nota altera ad finem, de numero columnarum in praefationibus scripsi. Duas enim columnas praestant codices *ABNQXD:* longos uersus exhibent *MFPTC.*

De hoc codice scripserunt:

Arnaldus Pontacus, Chronica Trium Illustrium Auctorum (1604), p. 29.

Wolferdus Senguerdius, Catalogus Bibliothecae Publicae Vniuersitatis Lugduno-Batauae (1716), p. 384.

Catalogus Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Regiae, Pars Tertia, Tom. IV (Paris. 1744), p. 526.

Aluredus Schoene, Eusebi Chronicorum Libri Duo, Vol. II (1866), p. XII; idem, Die Weltchronik des Eusebius (1900), pp. 26—28, et Deutsche Litteraturzeitung, XXIV (1903), 1693—1696.

Aemilius Chatelain, Vncialis Scriptura, Pars Prior (1901), Tab. XIV, et explanatio tabularum, pp. 24—26.

Ludouicus Traube, Codices Graeci et Latini photographice depicti duce Scatone de Vries, Supplementum I, Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta Leidensia, Parisina, Vaticana (1902); idem, Nomina Sacra (1907), pp. 150[1], 159, 190, 199.

Anonymus quidam, The Athenaeum (1903), 3956, pp. 251, 252.

---

[1] *Weltchronik*, pp. 26—28.

[2] Eusebi Chronica, II, pp. XII, XV.

[3] pp. XI, XII.

Iohannes Knight Fotheringham, The Bodleian Manuscript of Jerome's Version of the Chronicle of Eusebius, reproduced in Collotype (1905), pp. 2, 3, 18, 19.

Paulus Lehmann apud Ludouicum Traube, Vorlesungen und Abhandlungen, Zur Paläographie und Handschriftenkunde (1909), pp. LVII, 214.

De codice *S* descenderunt codices *P* et *N*. Originem codicis *P* agnouit Schoene in editionis suae praefatione, p. XII; sed in *Die Weltchronik des Eusebius,* p. 30, nihil nisi fidelitatem librariorum qui hoc genus codicum descripserunt testatum esse concessit. Traube in praefatione editionis suae photographicae fragmentorum Floriacensium, pp. III, IV, codicem *S* codicum *P* et *N* archetypum esse pro certo asseuerauit. Aluredo autem Schoene non persuasit, qui in notitia in *Deutsche Litteraturzeitung* edita et supra memorata adhuc dubitabat. Ego in opusculo Ludouici Traube opinionem secutus sum, nec sine causa; non enim uerba modo et rerum ordinem imitantur *PN*, sed etiam lacunas ob membranae mendas factas non nusquam conseruant. Videat lector in editione photographica Paris. Lat. 6400 B, f. 2^a, ubi lacunam conseruat *P*, et ibidem f. 4^a, ubi lacunam conseruant et *P* et *N*, et conferat codicem *A*, forma et textu codici *S* simillimum, qui neutram lacunam habet. Quorum codicis *S* apographorum accuratius descriptus esse uidetur codex *N*, de quo pauca hic scribere decet.

Mediomontanus Phillipp. 1872, nunc in bibliotheca publica Borussica Berolinensi, *N*
saeculo IX/X iudice Valentino Rose,[1] medio saeculo nono iudice Traube,[2] in monasterio Sancti Martini Turonensi scriptus, postea Claromontanus 637, inde Meermanianus, Mediomontanus, Berolinensis factus est. Theodorus Mommsen[3] hunc codicem primus ad uirorum doctorum notitiam protulit. Inde Rose, Schoene in *Die Weltchronik,* Traube, ego de eodem disseruimus. E quibus Rose et Traube plura atque utiliora quam ceteri docuerunt. Nihil continet nisi Chronica Hieronymiana. Folia habet 166. Varias lectiones permultas partim in margine, partim spatiis historicis intertextas praebet, quae iudice Rose a manu posteriore saeculi X prodierunt. Solus editorum usurpauit Helm. Huius codicis meo rogatu exemplar photographicum fecerunt Berolinenses. Lectiones quasdam in exemplari illo minus claras ad me miserunt Doctores Degering et Weil bibliothecarii, quibus ob comitatem gratias ago. In hac editione, si ulla in parte extat *S*, codicis *N* lectiones non cito, praeterquam quod marginalia, ubicumque citatione digna uisa sunt, in apparatu exhibeo.

Petauianus, nunc Lugduno-Batauus Lat. Voss. Q. 110, tempore Petri abbatis, ergo *P*
circa annum 850, in Sancti Maximini monasterio Miciacensi ab Helia monacho scriptus est. Petri tempus testantur duae chartae, altera Octobri anno 840, altera Septembri

---

[1] *Verzeichniss der lateinischen Handschriften der königlichen Bibliothek zu Berlin,* Band I (1893), sub numero 126.

[2] *Codicis Floriacensis fragmenta,* pp. XIX, XX.

[3] *Hermes,* XXIV (1889), p. 400.

anno 859, scriptae, quod Traube in opere suo de fragmentis Floriacensibus scripto memorat.[1] In eodem opere multa de Petro abbate et monasterio Miciacensi legenda sunt. Hic codex post spoliatam bibliothecam in manus Pauli Petauii uenit, qui eundem Pontaco commodauit. Exemplar a Iacobo Gillotio factum usurpauit Scaliger. Totum de nouo descripsit Schoene et in apparatu suo lectiones notauit. Postremus usurpauit Helm. Post Petauios Isaacum Vossium possessorem habebat, et cum reliquis eius libris Lugdunum Batauorum translatus est. Nihil continet nisi Chronica Hieronymiana. Folia, incluso titulo, habet 166. In hac editione, si quando extat *S,* lectiones non cito. De hoc codice consulat lector ea quae ad fragmenta Floriacensia praefatus est Ludouicus Traube et ea quae Aluredus Schoene in *Die Weltchronik des Eusebius* passim scripsit, quibuscum conferre licet quae ipse in opusculo scripsi. Exemplar photographicum meo rogatu fecerunt Lugdunenses, quorum beneficium grato animo accepi.

A Amandinus, olim monasterii S. Amandi, nunc Valentianensis 495, saeculo VII, manu Gallicana, teste Traube[2] scriptus, Chronica Hieronymiana sine supplemento continet. Vsurpauerunt Miraeus, Schoene, Helm. Folia, incluso titulo, olim habebat 169, sed duo folia post f. 125 desunt, in quibus continebantur pp. 245, 5 usque ad 249, 2 huius editionis. Coniunctissimus est genere codici *S.* Codicem descripsit Schoene in usum suum; eiusdem meo rogatu Parisios missi exemplar photographicum fecerunt Catala fratres, pro quo beneficio gratiae Iuliano Lecat bibliothecario olim Valentianensi nunc aeternis thesauris gaudenti debentur. Codicem ipsum perscrutatus colores notaui.

M Mediomontanus Phillipp. 1829, nunc in bibliotheca publica Borussica Berolinensi, tempore Caroli Magni ut opinatur Traube,[3] nono saeculo ut scribit idem alio in loco,[4] Augustae Treuirorum descriptus est. Franciscus Ruehl[5] hunc librum Veronae exaratum esse suspicatus est, quam opinionem iuste confutauit Rose.[6] Certe adhuc nouus Augustae Treuirorum erat,[7] postea Metis, inde Lutetiam Parisiorum in Sirmondi usum delatus, Claromontanus, Meermanianus, Mediomontanus, Berolinensis factus est. Hunc codicem editores priores Chronicorum Hieronymianorum neglexerunt; Aluredus autem Schoene de illo certior factus collationem a Francisco Ruehl impetratam uolumini priori editionis suae anno 1875 publici iuris facto, ut iam supra scripsi, affixit. Codicem nostrum codici *O* genere coniunctum esse monstrauit Theodorus Mommsen.[8] Plenissime de eo disseruit Rose.[9]

---

[1] *Cod. Flor. frag.,* p. XVIII.

[2] Ibid., p. XII.

[3] Ibid., p. IV.

[4] Ibid., p. XI.

[5] Apud Schoene, Eusebi Chronica, I, p. XIV.

[6] *Verzeichniss,* sub numero 127.

[7] Mommsen, *Chron. Min.,* I (1892), p. 78, et Rose, loc. cit.

[8] *Hermes,* XXIV (1889), pp. 396 et seq.

[9] *Verzeichniss,* sub numero 127. Vide etiam Mommsen, *Chron. Min.,* I (1892), p. 78, II (1894), pp. 7, 8.

Eundem tractauimus Schoene[1] et ego.[2] Solus editorum Hieronymianorum hunc codicem usurpauit Rodolphus Helm. Continet Chronica Hieronymiana, Hydatii Lemici continuationem Chronicorum Hieronymianorum, Librum Generationis. Exemplar photographicum meo rogatu fecerunt Berolinenses, et lectiones quasdam in exemplari incertas ad me transmiserunt Doctores Degering et Weil quibus gratias iterum agere gaudeo.

Oxoniensis Mertonensis 315, nono saeculo scriptus est. Vnde ad collegium Mer- *T*
tonense uenerit nescio. Inuenitur in eo catalogo librorum Mertonensium quem edidit Thomas James anno 1600. Inueniuntur in libro[3] uersus quidam Germanica lingua scripti XIV ut apparet saeculo, sed utrum in Germania an a Germano aliquo peregrino incertum est. Continet Eusebii praefationem, «Interpretationem sancti Hieronymi de nominibus gentium», «Demensurationem prouinciarum», Hieronymi praefationem, Chronica Eusebii et Hieronymi, «Reges gentium diuersarum qui fuerunt uel quantum regnauerint», «Ordinem plenarium succedentium sibi temporum», «Item secundum Seuerum», «Item secundum Africanum». Solus omnium quoad scio qui ante me scripserunt hoc codice usus est Henricus Dodwell, qui saepe eius mentionem fecit in *Dissertatione Singulari* quae ad calcem Pearsonii *Operum Chronologicorum,* Londin. 1688, inueniri potest.[4] Optime exaratus et sollertissime descriptus est. Multi ex eis erroribus qui in codicibus primae notae inueniuntur et qui forsitan de ipso Hieronymo uel de librario eius descendunt, hic correcti sunt. Vnde uidetur aut librarius ipse aut archetypi librarius uir doctus fuisse, et, ut credo, non modo propria eruditione, sed Chronicis Graecis collatis textum emendasse. Eadem doctrina in additamentis ostenditur, quae permulta in codice leguntur. E quibus non omnia notaui, sed praelibaui quae aut magis interesse aut ceterorum exempla praebitura esse uidebantur. Sed non suo tantum nomine ualet hic codex, familiae enim omnium numerosissimae et antiquissimus et multo optimus est. Eorum enim codicum quos Scaliger «priores» appellabat, hic codex textum praebet, errores autem et ordinem falsum euitat. Vt supra scripsi, editio princeps, quam edidit Boninus Mombritius, huic codici et textu et ordine et paginarum distinctione simillima est. Exemplar photographicum fecit uxor mea permissu custodis et sociorum Collegii Mertonensis, quibus pium et gratum animum semper fero feramque. Lectiones non nullas mihi Vindobonae commoranti comiter impertiuit Perceius Stafford Allen, Collegii Mertonensis socius et bibliothecarius.

Londinensis, Mus. Brit. Add. 16974, in monasterio S. Trudonis (Belgico prope *X*
Mosae Traiectum) aut IX aut X saeculo scriptus in possessionem sociorum Bollandianorum, inde domini van Houthen Aquisextiensis, postremo anno 1846 uel 1847 Musei

---

[1] *Die Weltchronik des Eusebius,* p. 28.

[2] *The Bodleian Manuscript etc.,* pp. 4, 5.

[3] ff. 9[a], 156[a, b].

[4] Vide p. 18, etc.

Britannici[1] uenit. Continet Hieronymi super Matthaeum commentarios, Chronica Hieronymiana, Chronicorum Gallicorum a. CCCCLII partem posteriorem, Prosperi Tironis epitomae Chronicon partem postremam, Chronica Marii Auenticensis, Chronicorum Isidorianorum epitomen, Auctarium Chronicorum Isidorianorum ad a. DCXXIV, Acta S. Trudonis, Passiones S. Gorgonii martyris et S. Cornelii papae. De hoc codice, quod ad chronica nostra attinet, primus scripsit Aluredus Schoene[2] ea quae Iosephus Schichowski notauerat. Falso iudicauit Schoene hunc codicem non Chronica ipsa, sed nihil nisi epitomas continere, quapropter eum in Chronicis edendis non usurpauit. Eundem magni momenti esse arguit Theodorus Mommsen,[3] cuius opinioni et Schoene in *Die Weltchronik* et ego et Gilson[4] nos addiximus. Codicem neglexit Helm, nec iniuste, si modo *T* citauisset. Lectiones ea sola causa notandae sunt ut intellegatur quae lectiones codicis *T* toti familiae *TXC* communes sint. Hic codex antiquissimus est eorum quos ordine rerum transmutato Scaliger falso nomine «priores» appellauit. Plenus est erroribus. Rogatu meo exemplar photographicum factum est, quapropter bibliothecario Friderico Kenyon equiti, Collegii Beatae Mariae Magdalenae honoris causa socio gratias ago. Codicem ipsum perscrutatus colores notaui. Hunc codicem Schoene et ego in opusculo *L* appellaueramus. Sed, quoniam siglo *L* Helm codicem Lucensem designat, nostro siglum *X* nunc appono.

C Tertium membrum familiae *TXC* Codicem Colbertinum, Parisinum Lat. 4859, saeculo X uel forsitan IX scriptum, olim Petrus et postea Franciscus Pithoeus possidebant. Huius tempore Pontacus codicem sub nomine Pithoeano et siglo *Pi.* citabat. In bibliotheca Petri Pithoei numerum habebat 725; post Pithoeos forsitan possidebat eum Thuanus; certo uenit ad Colbertum, penes quem numerum habebat 1398, inde ad bibliothecam olim regiam nunc nationalem. Forsitan erat olim Lemouici. Addit enim manus posterior p. 87, 24 huius editionis «lemouicas in gallia primum condita a lemouico rege gallorum giganteo genere», atque eadem, ut credo, minio p. 228, 10 «deinde capta urbs lemouicas et iritus filius regis uetuiti». Manu Gallica exaratus est; notis Tironianis abundat. Continet tabulam rerum (non ad chronica nostra pertinentem), Chronica Hieronymiana, «ordinem plenarium . . .» ut *T*, «incipit secundum Seuerum», ut et *T* hoc in loco, «cons. ordenari post opus sancti ieronimi constitutum etc.», deinde excerpta quaedam incipientia «liber primus, cap. VIII: — in huius sacri monasterii» et se finientia «numquam accedere temptauisset». 156 habet folia, e quibus Chronica Hieronymiana 152 obtinent. Nullus post Pontacum editor hunc codicem usurpauit. Pauca de eo excerpsit Schoene in *Die Weltchronik*. Intime coniunctus est codici *X* et minus intime codici *T*. Ordinem codicum «priorum» non habet, sed usque ad A. Abr. 1967 duo spatia historica

---

[1] Vide Mommsen, *Chron. Min.*, I, p. 620, et Madden, *Additions to the British Museum Manuscripts, 1846/47*, editum 1864.

[2] Eusebi Chronica, II, p. XIV.

[3] *Hermes*, XXIV (1889), pp. 398, 399.

[4] *Classical Review*, XX (1906), pp. 463, 464.

exhibet. Eundem ordinem habet codex *X* de A. Abr. 1505 usque ad A. Abr. 1919. Codicis *C* meo rogatu exemplar photographicum fecerunt fratres Catala, pro quo negotio procurando gratias ago Henrico Omont, codicum MSS. conseruatori.

Parisinus Lat. 4858 saeculo IX medio scriptus est. Manu Gallica exaratus insulares *Q* exhibet breuiaturas nec dubitat Elias Lowe quin e uero scriptorio ortus sit. Notas Tironianas signaturae exhibent. De codicis historia nihil possum scribere. Nullus editor eum usurpauit; pauca Schoene in *Die Weltchronik* et plura ego in opusculo de eo scripsimus. Continet Chronica Hieronymiana sine supplemento, post quae fragmentum inserit hymni Quicumque uult. Absolutis praefationibus, ordine et ratione in initio Chronicorum similis est codicis *O*; sed sensim immutatur.[1] Post f. 103 folium unum, quaternionis XIV^mi primum, quod p. 305, 25 usque ad 310, 2 comprehenderat, deest. Sollertissime codex scriptus est, et, quod ad textum attinet, bonae, quod ad tempora et colores, optimae notae est. Exemplar photographicum meo rogatu eximie fecerunt Catala fratres, e quo non solum, ut solet, lectiones, sed, quod rarius fit, paene semper colores distingui possunt. Gratias ago Henrico Omont, codicum MSS. conseruatori, cuius comitate opus in photographorum manus datum est. Lectiones quasdam in exemplari photographico incertas, ipse Parisiis perscrutatus sum.

Congener antiquior sed deterior codicis *Q* est Codex Bongarsianus, nunc in biblio- *B* theca municipali Bernensi, no. 219. Exaratus est saeculo VII, quod ex ipso codice liquet: in prima enim pagina haec uerba litteris grandibus et, ut uidetur, alia manu post codicem absolutum scripta sunt: — «In annum V Childeberti regis Francorum Pippino iubente ab Adam sunt anni V milia DCCC · fuit pasca X K. Aprilis. Ascensio Domini fuit K. Madias per cyclum numerum annorum CXL repeticio a capite cychli.» Haec pertinent procul dubio ad annum 699, qui CXL^mus erat cycli Victoriani, quod monstrauit Scaliger.[2] Hunc igitur habemus terminum ad quem uel potius codicis completi tempus. Terminus a quo inueniri potest in fine libri ubi scripta sunt: — «Et ad XIIII ann. Valentiniani qui Valentis usque hodie ind. XII die kl. Marcias imp. Heraclio sunt anni CCXLVIII: fiunt omnes anni ab Adam usque hic V̄DCCCXXIIII.» Certum est haec confuse descripta esse ex archetypo anno 624 scripto. Scaliger, qui sine iusta causa ind. XV pro ind. XII legit, uoluit 627, quod a posteris acceptum est. Sequitur ut codex noster anno 699 aut saltem inter 624 et 699 exaratus sit, cui tempori scriptura bene congruit. Cur Hermannus Hagen[3] saec. VIII et Helm saec. VIII substituant, non intellego. Manu Gallica scriptus est eo ferme tempore cum monasterium Floriacense fundatum est. Illic scriptum esse censuit Traube.[4] Certe ad illud monasterium aut tunc aut serius

---

[1] Vide quae scripsi, *The Bodleian Manuscript etc.*, p. 30.

[2] *Thesaurus Temporum* (1658), animaduersiones, p. 160.

[3] *Catalogus Codicum Bernensium* (1875), p. 269.

[4] *Cod. Flor. frag.*, p. XII.

pertinebat. Scribit Schoene[1] in superiore margine paginae uacuae alterius quae ante initium textus stat, reliquias horum uerborum reperiri: — «Hic est liber Sancti Benedicti abb. Floriacensis.» Hoc forsitan uerum est: sed errat Schoene cum scribit f. 63 b inter columnas esse scripta: — «Hic est liber sancti Benedicti abb. Floriacensis cenobi.» Testatur etiam hunc Floriacensem fuisse Arnaldus Pontacus.[2] Inde in possessionem uenit Petri Danielis, qui eum Pontaco communicauit, cuius in apparatu nomine Aurelianensi et siglo *A* insignitus est. Deinde emptione, ut uidetur, Iacobi Bongarsii factus est, qua de causa nomen ei Bongarsianum et siglum BONG. dedit Scaliger. Inde per Iacobum Grauisset Bernam transmigrauit. Hunc codicem Scaliger et Schoene in editione maximi aestimauerunt, et Schoene quidem fundamentum eum fecit editionis suae. Postea in *Die Weltchronik* laudibus suis moderatus est. Eodem codice etiam Helm, ut supra scripsi, usus est. Codex Chronica Hieronymiana sine supplemento continet. Plenus est erroribus, sed propter antiquitatem aliquid ualet. Orthographia falsa, sed sibi cohaerente utitur. Regnorum tramites non pariter sequitur; ideoque in temporibus parum utilis est. Huius codicis in meum usum Oxonium missi exemplar photographicum meo rogatu factum est. Lectiones si quae in exemplari uix legi possunt, ego ex codice ipso excerpsi; uxor mea colores notauit. Quae omnia quod perfici poterant gratias toto animo meo bibliothecario Bernensi Professori de Muelinen ago.

F Freherianus, Lugduno-Batauus Scaligeranus 14, saeculo IX ineunte scriptus est. In pagina ultima manu saeculi XI scripta reperiuntur: — «Ciuitate Perigorensis Stephani sancti episcopus Rodulfus. Petrus Pereg.»[3] Rodulfus sedit Petrocorii circiter 1000—1003. Forsitan eo tempore codex Petrocorii erat. Nescio quo modo in possessionem Marquardi Freheri uenerit, a quo uidetur Arnaldus Pontacus usum eius obtinuisse. Etsi enim huius codicis nullam in praefatione mentionem facit, lectiones eius sub nomine *Fre.* saepe citat. Codicem dedit Freherus Scaligero, qui eum in editione sua usurpauit; quo mortuo cum aliis eius libris eum accepit Vniuersitas Lugduno-Bataua. Codicem exscripsit Schoene et lectiones edidit, neglexit Helm. Continet Chronica Hieronymiana cum exordio quodam, Prosperi Tironis Epitomam Chronicon, Bonifatii carmen. Demonstrauit Schoene,[4] adiuuante Theodoro Mommsen, huius codicis archetypum a Bonifatio factum esse, eundemque recensuisse et textum et synchronismos; quo in opere non dubito quin Chronicis Eusebii Graecis usus sit.[5] Sed etiam lemmata historica per columnas miscuit et tempora saepius confudit. Exemplar photographicum meo rogatu fecerunt Lugdunenses, quibus pro comitate gratias ago.

---

[1] *Die Weltchronik des Eusebius*, p. 24.

[2] *Chronica Trium Illustrium Auctorum*, p. 26.

[3] Mommsen, *Chron. Min.*, I, pp. 367, 368; Catalogus Codicum MSS. Bibliothecae Vniuersitatis Leidensis, II, Codices Scaligerani (praeter orientales) (Lugduni-Batauorum 1910).

[4] *Quaestiones Hieronymianae* (1864), pp. 51—59; editio, II, p. XI; *Weltchronik*, pp. 25, 276.

[5] Legantur quae scripsi in *The Journal of Hellenic Studies*, XXVII (1907), p. 79.

Codicis *F* congener est codex Parisinus Lat. 4860, Mogontiaci inter annos 939 et 954 iubente Friderico archiepiscopo scriptus. Mogontiaci adhuc erat circiter 1528, inde ad Colbertum uenit et cum reliquis Colbertinis ad bibliothecam regiam, nunc nationalem. Numerum in bibliotheca Colbertina habebat 240; olim in bibliotheca regia erat 3730 a.[1] Archetypum huius codicis nunc deperditum Augiensem fuisse demonstrauit Mommsen.[2] Continet Chronica Hieronymiana, inde Prosperi Tironis Epitomam Chronicon, multa denique alia opera chronologica. Quod Prosperum post Hieronymum habet, similis est codicis *F*; non dissimilis est in textu, et, ut *F*, lemmata per omnes columnas miscet. Non tamen eundem ordinem quem *F* conseruat. Nullus hunc editor, quod ad Chronica Hieronymiana attinet, usurpauit. Exemplar photographicum meo rogatu fecerunt fratres Catala, qua in re pro comitate eius gratias ago Henrico Omont, codicum MSS. conseruatori. *D*

Lucensis, bibl. capit. 490, codex praeclarus, Lucae, ut uidetur, scriptus, in ecclesia Lucensi perpetuo conseruatus est.[3] Codex miscellus est nec totus eodem tempore scriptus. Quae continet enumerat Theodorus Mommsen.[4] Primo in loco habet Chronica Hieronymiana (non epitomen tantum ut Mommsen per errorem affirmat),[5] absoluta, ut ex ipso codice apparet, anno 787. Haec enim uerba in margine postremae Chronicorum paginae inueniuntur: — «a resurrectione domini nostri Iesu Christi usque ad praesens annum Caroli regis in Langubardiam in mense Septembrio, quando sol eglypsin patuit, in indict. x anni sunt DCCLXII menses VI». Errat Mommsen, qui[6] haec de eclipsi a. d. VIII Id. Sept. anno 796 facta intellegit, quae eclipsis in Italia uideri non potuit. Si quis enim eclipses solares, quas Theodorus de Oppolzer collegit,[7] perscrutari uult, quattuor inueniet, quae mense Septembri sub regno Caroli apud Langobardos ante imperium susceptum acciderunt. Has tabulis Roberti Schram[8] fultus inuestigaui, unde hoc repperi, unam tantum harum defectionum in Italia uisam esse, eam uidelicet quae anno 787 a d. XVI Kalendas Octobres accidit. Haec maior erat quam quae spectatores effugeret, nam meis rationibus[9] comperi, si quis Lucae portentum spectaret, diametri solaris uix octauam partem luna interposita extitisse. Hoc tempus, quamquam resurrectionis annus *L*

---

[1] Vide Mommsen, *Chron. Min.*, I, pp. 363—365.

[2] Ibid., pp. 362, 363.

[3] Duchesne, *Liber Pontificalis*, I (1886), p. CLXIV; Mommsen, *Liber Pontificalis* (1898), pp. LXXIV, LXXV.

[4] Loc. cit.

[5] *Chron. Min.*, I, p. 156.

[6] Ibid. et *Liber Pontificalis*, p. LXXIV.

[7] *Canon der Finsternisse, Denkschriften der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Mathematisch-naturwissenschaftliche Classe*, LII (Vindobonae 1887).

[8] *Tafeln zur Berechnung der näheren Umstände der Sonnenfinsternisse, Denkschriften der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Mathematisch-naturwissenschaftliche Classe*, LI (Vindobonae 1886).

[9] Lege quae de motu tam solari quam lunari scripsi in *Monthly Notices of the Royal Astronomical Society*, LXXXI (1920), pp. 104—126.

non bene congruit, indictio, quae maioris est momenti, satis confirmat. Indictionum tria sunt genera, quorum medio mense Septembri Graeca, quae in Italia eo tempore plus ceteris usurpabatur, semper Bedanam et Romanam uno anno excedit. Defectionis tempore Bedana et Romana indictio x erat, Graeca xi. Bedanam igitur hic indictionem nos habere credo, quod si uerum est, hoc antiquissimum in Italia eius exemplum est, nullum enim, quoad scio, aliud eius computandi rationis exemplum notum est Kalendario Florentino antiquius, quod anno circiter 817 scriptum est.[1] Et codicem et scribendi tempus tractauit Ioannes Dominicus Mansi,[2] apud quem eadem de eclipsi et de indictione reperies, nisi quod per errorem «Septemb. xiv» uice «Septemb. xvi» scripsit. Defectionis tempus recte definiuit Sethus Caluisius,[3] quem de hac re citauit Mansi. Hanc quidem eclipsin multi auctores memorant, sed Codex Laureshamensis solus diem uerum habet. Scriptorum testimonia collegit Ginzel, qui etiam eclipsis centralis zonam Theodori de Oppolzer theoria fretus computauit.[4]

Hunc codicem descripsit librarius admodum neglegens et orthographiae incuriosus, qui inter alios errores regum tramites non pariter produxit. 'B' et 'u' tanto opere confundit ut has litteras in apparatu non distinguendas putauerim. Vtramque praefationem omittit; archetypum habebat imis paginis mutilum, et in fine Chronicorum misere mutilum, unde fit ut inde a pagina nostra 259 uerba semper plura in imis paginis nostris omittat et a p. 329, 10 omnia omittat. Editorum Hieronymianorum nemo praeter Helm hunc codicem usurpauit. Ob exemplar photographicum meo rogatu factum gratias ago Petro Guidi ecclesiae Lucensis cancellario.

DE CODICVM AESTIMATIONE.

Codicum quibus usus sum sex sunt genera, *OM, SA(PN), TXC, BQ, FD, L.* E quibus multo praeferendus est *O* non modo in eis quae ad textum, sed etiam in eis quae ad rerum ordinem pertinent. *M* errores proprios plures continet quam cui deficiente *O* confidi possit. *SA,* uel, deficiente *S, APN,* multas suo generi proprias lectiones habent, quibus diffidendum est. Si tamen ab aliorum generum codicibus auxilium habent, magno opere ualent. E quibus *S* potior est quam *A,* et e codicis *S* filiis *N* potior quam *P.* *T* est codex bonus, sed ut supra scripsi, multa partim sua scientia, partim ut opinor e Chronicis Graecis correxit redactor aliquis librario antiquior; lectionum correctarum saepe

---

[1] Angelus Maria Bandinius, *Catalogus Codicum Latinorum Bibliothecae Laurentianae,* I (1774), 284, et Fridericus Carolus Ginzel, *Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie,* III (1914), pp. 151, 152.

[2] *De insigni codice Caroli Magni aetate scripto,* in *Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici,* XLV (Venetiis 1751), edente Angelo Calogierà, pp. 78—80.

[3] *Opus Chronologicum,* ed. 1650, p. 641.

[4] Vide eius opusculum, *Sitzungsberichte der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Math.-nat. Classe,* LXXXVIII, pp. 661—663 (Vindobonae 1883).

particeps est *B*, non raro *BQ*. Redactor idem uel forsitan recentior aliquis clausulas quasdam recensuit et non nulla addidit. Lectiones generis *TXC* codicibus communes curaui ut memorem; sed *XC* saepe prauas lectiones communiter conseruant. E genere *BQ*, *Q* procul dubio praestat, in temporibus maxime. Sed *B*, ut codex antiquus, non spernendus est. *FD* non nimis inter se cohaerent, e quibus *D* in temporibus aliquid, in textu uix quicquam ualet. *L*, codex deterior, ita sui est generis ut codici *O* plus quam aliis accedat.

Generum discrimen non facile est paucis exemplis illustrare. Nam in rebus minoribus casus, in maioribus contaminatio uiget. Sed multis lectionibus collatis, facile est genera distinguere. Haec forsitan exempla sufficient:

312, 6 uilla sua spalato *OMF* : uillae suae palatio *SA* : uillas suas palatio *BQ* : uilla sua palato *L* : uilla sua aspalato *TXC* : uilla sua palatio *D*;

ubi *F* lectionem ueram cum *OM* contra *D* habet.

176, 4 permanserat (permanserant *O*) *OMLFXC* : manserat *ABPNQTD*;

ubi utrumque genus *APN* et *BQ* cum *T* et *D* separatim lectionem prauam habent.

274, 17 pontiam *OMLFN*^{m}*XC* : pontianam *ABPNQTD*;

idem discrimen quod et supra.

178, 10 uiminalem aescylinum *(cum erroribus minoribus) OMLFTXC* : aesquilinum uiminalem *ABPNQD*;

ubi utrumque genus *APN* et *BQ* cum *D* separatim lectionem prauam habent.

186, 19 et iterum 187, 8 hystaspis (histaspis *etc.*) *OMLFT(X)C* : hydaspis (hidaspis *etc.*) *ABPNQD*;

idem discrimen quod et supra.

271, 9 besbius *OML* : baebius *BQ* : uaesuuius *APN* : uesuuius *FXC* : uesouius *T* : uaespius *D*;

ubi *L* cum *OM*, *F* cum *XC* contra *D* coniungitur, *T* non multum differt a *XC*.

291, 2 dulcianus *OAMFPND* : dulicianus (dulichianus *XC*) *BLQTXC*;

ubi *BQ* et *TXC* et *L* lectionem prauam habent.

Sed uide *Hist. eccl.* V, 12 Δολιχιανόν.

DE CANONVM FORMA ET ORDINE.

Quod ad ordinem attinet, hi canones in duas partes diuisi sunt, quarum prior a natiuitate Abrahae usque ad Darii an. II (pp. 16—187), posterior a Darii an. III ad finem libri porrigitur. In parte priore ea quae ad quemque annum pertinent duarum paginarum, in parte posteriore unius paginae latitudinem obtinent. Duarum paginarum materiem in unam paginam comprimunt per totum opus *B*, in priore parte *XD*, uariis in locis *L*: e contrario *C* duarum paginarum seriem usque ad p. 238, 4 nostrae editionis conseruat. Cuique paginae attribuit Hieronymus 26 lineas, quem numerum retinent

codices *SAMPNTC*. Attamen non modo numerum, sed etiam eandem paginarum distinctionem (cum discrepantiis nullius momenti) in parte priore habent eidem septem codices, et in parte posteriore *SAPN*. Quem ordinem archetypis codicum aliorum communem fuisse, e sequentibus liquebit. Codex *O* eiusdem generis est cuius et codex *M*, qui 26 lineas in unaquaque pagina conseruat; eandem porro linearum distinctionem quam *SAMPNTC* in parte priore exhibet, eis tantum exceptis lemmatibus quae per multos uersus extensa filorum seriem interrumpunt. Vide etiam pp. 98, 99; hic «troia capta» eodem in loco minio repetit *O*, ubi eadem in summa pagina repetunt ei codices qui 26 lineas in unaquaque pagina conseruant. Item, p. 117 infra, falsa Lacedaemoniorum annorum enumeratio ibi finitur, ubi *AMPNTC* paginam claudunt. Item in parte posteriore *O* Macedonum annorum colorem non finita sua pagina mutat, sed finita pagina nostra 197, ubi ordinem codicum *APN* conseruaui; necnon pp. 200, 201, ubi in filo Aegyptiorum *O* «posquem» pro «post quem», quibuscum *APN* paginam terminant, habet, sed ineunte in his codicibus pagina noua notitiam non absoluit. Similiter, quod supra commemoraui, in parte posteriore saepius inuenitur lacuna apud *L* ad imam paginam nostram, id est ad eum locum ubi *SAPN* paginam terminant, unde colligi potest archetypum eius eandem quam *SAPN* paginarum diuisionem habuisse. Sed, quod ad textum attinet, nec *O* nec *L* coniunctus est familiae *SAPN*, quare eam paginarum diuisionem, quam in *SAPN*, et potissimum in *SPN* repperi, Hieronymi ipsius fuisse iudicaui et in hac editione retinui.

Apud quamque paginam unum spatium historicum atque aut unum aut plura fila regnorum inuenimus, id est, duo spatia historica in parte priore, ubi canones per duarum paginarum latitudinem patent, unum in parte posteriore, ubi intra unam paginam compressi sunt. Hunc ordinem praebent *OSAB* (qui tamen duas paginas in unam, unam in dimidiam paginae partem per totum paene opus comprimit) *ML* (qui ordine conseruato non numquam duas paginas in unam comprimit) *F* (qui autem aliquando lemmata filis intermiscet) *PNQTC* (nisi quod, ut iam indicaui, duarum paginarum seriem usque ad A. Abr. 1967 [p. 238, 4] conseruat). *D* hunc ordinem in parte posteriore conseruat, sed in parte priore lemmata filis intermiscet. *X* autem spatium historicum ad dextrum paginae latus relegat ea excepta parte (pp. 188—231, 9) ubi duo spatia historica in unaquaque pagina exhibet. Ea sola causa notandus est ordo codicis *X*, quod Scaliger eundem pristinum fuisse censebat, quam ob rem huius generis codices «priores,» ceteros «posteriores» nominauit. Sed, ubi ne *TC* quidem codicem *X* confirmant, prorsus neglegendus est. Hieronymi praefationem bis praebet *X* et prima quidem uice normam interpretandi immutat ut ordini suo rerum aptiorem faciat.[1] Corruptus ille praefationis textus Scaligero persuasit ut hunc ordinem praeferret.

Fila regnorum in parte priore pariter per utramque paginam diuisa sunt. Vbi filorum numerus impar est, maior pars usque ad p. 149 dextrae, a p. 154 sinistrae paginae

[1] Vide apparatum ad p. 3b, 23.

datur. In unaquaque pagina spatium historicum inuenitur ad dextram prioris e duobus, secundi e tribus aut quattuor, tertii e quinque filis. In parte posteriore spatium semper ad dextram primi fili adhibetur. Fila alterna minio et atro scripta sunt, nisi quod raro eundem colorem ad utrumque latus spatii inuenitur. Primum filum usque ad Olympiadem primam rubro semper insignitus est colore, post primam Olympiadem nigro. Olympiades minio scriptae sunt. Hunc ordinem *OSAPN* seruant, et paucis cum discrepantiis *BT*. In hac editione, quicquid minio scriptum fuit, typis nigerrimis, uel ut dicuntur Aegyptiacis, distinguitur. Inuenientur aliquando lemmata historica, praecipue prophetarum nomina et thalassocratiae, eodem modo insignita. Hic quoque colores, qui in libris optimis traduntur, praebere conatus sum. *OABX* perscrutatus ut colores notarem, ceteros praeter *L* haud raro inspexi. Colores codicis *Q* optime reddidit Catala photographus. Ipse eundem codicem pluribus in locis inspexi. Veterem colorum diuersitatem partim per litterarum diuersitatem uncialibus inter minusculas scriptis aut simili modo exhibent quidam codices. Legenda sunt quae de *NPXTQ* in opusculo, pp. 5—7, 30 scripsi.

Non modo coloribus sed etiam magnitudine litterarum uariantur Canones. Grandes et paruas sollertissime distinguunt *OSF*, minore cura *PNQ*: uestigia talis discriminis inueniuntur apud *ABDC*. In summis paginis tituli litteris paruis scripti sunt. In parte priore non interrumpuntur fila nisi ut memorentur aut Olympiades aut regum accessiones aut ea lemmata historica quae maximi sunt momenti. In eadem parte cetera lemmata historica litteris paruis scripta sunt, ne maiora lemmata plus quam sua loca occupent. Hac norma neglecta, lemmata multa in codicibus de locis propriis deturbata sunt. In filis omnia super eis regulis scripta sunt quas ad scripturam dirigendam librarii sibi fecerant: in spatio autem historico incipit lemma quodque non super regula propria, sed sub regula praecedente. Hoc in editione retinere conatus sum. Sed, cum uersus litteris minoribus scriptos nullo certo interuallo separent codices, hoc noui introduxi ut duos semper uersus scripturae minoris uersui uni scripturae grandioris coaequauerim. Hoc tantum mutaui: ea lemmata quae unius uersus spatium non excedunt, in media, non, ut codices, in superiore interualli parte exhibeo. Sunt autem, ut supra indicaui, lemmata aliqua maioris momenti quae regulis suis instantia litteris grandibus scripta sunt et non numquam fila interrumpunt. In parte autem posteriore alia est ratio. Hic enim non lemmata annis, sed anni lemmatibus accommodati sunt. Quae cuique anno propria sunt, grandibus scripta sunt litteris, nec apparet ista scriptura minor nisi in paginarum titulis. Nullus annus notatur nisi post inceptum postremum anni superioris lemma. Si ergo unius anni lemmata plures uersus occupant, necesse est spatium quoddam in filis regnorum uacare. Monendum est et in parte priore et in posteriore lemma quodque ad eum annum pertinere qui aut in eo uersu notatur in quo lemma incipit aut, si is uersus in filis uacat, proxime ante eum notatur. Non raro fit ut spatii seruandi causa lemma quoddam non in initio uersus, sed post uersum inceptum incipiatur; his quoque lemmatibus accommodati sunt annorum numeri atque errant ei editores qui

talia eisdem referunt annis quibus et lemmata praecedentia. Frequens editorum error est quod lemma non ad proximum priorem annum referunt, sed ad eum qui in pagina proxime abest; a quo errore in hac editione cautum est.

Olympiades nullum proprium filum habent, sed in filo sinistro notatae sunt; locum habent post eius anni numerum quo incipiunt, ante eius anni numerum qui primo Olympiadis anno incipit. Quod fit, non, ut Eduardus Schwartz arguit,[1] spatii seruandi causa, is enim uersus in quo Olympias notatur saepissime uel potius semper uacat, sed forsitan, ut in opusculo[2] conieci, quod Olympiades annis Eusebianis non concurrunt; Eusebius enim, quod imperatorum accessionibus fretus demonstrauit meus quondam sodalis Cuthbertus Hamilton Turner,[3] circa aequinoctium autumnale annos incipit, Olympiades paulo prius initium sumunt. Quod si plures uersus inter regnorum annos uacant, Olympias saepius in ultimo locatur; non raro autem ita superiorem locum uindicat ut lemma quoddam nouae Olympiadi adscribi possit.

Sed non nimis exigendae sunt temporum notae. Nam saepe euenire potuit ut rem gestam aliquam inueniret scriptor non ad annum aequinoctialem sed ad annum cuiusdam alius generis adscriptam nec ulla anni tempestate distinctam. Rem talem necesse erat ei apponere anno qui maxima ex parte ei anno concurrebat, ad quem rem illam adscriptam inuenerat. Multos autem annos certum est scriptorem coniecisse, nam in canonibus nihil nisi ad annum fixum memorari potest.

Decimo quoque anno inserit scriptor in margine sinistro annum Abrahae, ad quem annum omnes in filis annos linea subscripsit, quam lineam sedulo in hac editione seruaui.

Minores in annorum numeris errores non enotaui. Nec in apparatu notaui, si quando codex seriem aut Olympiadum aut Abrahae annorum a suo loco amouet. Quam ob rem tales discrepantias hic summatim memorandas duxi.

Olympiades ponit *F* a CCLXXII usque ad finem uno anno inferius quam textus meus; similiter *T* a CCXLVIIII, quem ordinem sequitur Mombritius. *X* ponit non inter annos, sed ad latus sinistrum anni succedentis: Olympiades autem CLXXIII, CLXXIIII omittit, CLXXV—CCLXXI ad latus anni secundi post locum uerum ponit. E contrario *D* Olympiadas ad latus sinistrum anni praecedentis ponit, qui ordo et apud uersionem Armeniacam inuenitur. *C* modo ad annum praecedentem, modo ad succedentem, modo inter annos ponit: nec prodest Olympiadum tempora ex hoc codice decerpere. Annos Abrahae a $\overline{\text{II}}$CCCXXX usque ad finem libri uno anno superius quam haec editio ponunt *OL*: hos annos post Troiae captiuitatem omittit *B*: *M* $\overline{\text{II}}$CCCLXXX sed non ceteros cum *OL* transponit: a $\overline{\text{II}}$CCXL usque ad $\overline{\text{II}}$CCCXX uno anno, et a $\overline{\text{II}}$CCCXXX usque ad

[1] *Berliner Philologische Wochenschrift*, XXVI (1906), 747.

[2] p. 16.

[3] *Journal of Theological Studies*, I (1900), pp. 187—192.

finem libri duobus annis inferius quam haec editio habet annos Abrahae *F*; a $\overline{\text{II}}$CXX usque ad finem uno anno inferius quam haec editio habet annos Abrahae *T*, quem ordinem sequitur Mombritius: a MDCCCCXXX usque ad $\overline{\text{II}}$CC uno anno inferius quam haec editio habent annos Abrahae *XC*.

NVM HIERONYMVS CHRONICA PLVS QVAM SEMEL EDIDERIT.

Arguit Aluredus Schoene in *Die Weltchronik des Eusebius*[1] Hieronymum et formam et textum Chronicorum gradatim mutasse. Tres ponit editiones, quarum *X* primam, *OM* mediam, *AS* ultimam, quam Schoene Romanam nominat, praestare putat. Editio prima, ut credit, longas habebat paginas, quae gradatim minutae, in editione Romana 26 lineas quaeque habebant. Sed, ut supra demonstraui, omnia haec codicum genera 26 lineas ad paginam olim habebant. Colligit etiam lectiones diuersas, quarum Hieronymum ipsum fontem esse censet. Eas iam in opusculo tractaui, quas Schoene maximi momenti esse credebat. Easdem hic breuiter expediam:—

(I) 299, 24 «athlamos» (= ΑΘΛΑ Μ) cum discrepantiis minoribus habent *OBMLN*^{m} *QTXDC*: «XL missus» habent *AFPN*, unde colligo et *APN* et *F*, quod saepe accidit, uerba falso interpretata e Graeco correxisse.

(II) 175, 14 «subuertit» (καθαιρεῖ) habent *N*^{m}*XbisC*: «destituit» *N*^{m}: «emundauit» (καθαίρει) *OABMLFPNQT(D)*. Credibile est librarium codicum *XC* archetypi, qui erroribus miris scatebat, «emundauit» per errorem scriptum putasse et «subuertit» substituisse.

(III) 328, 18 «probus praefectus illyrici» cum discrepantiis minoribus habent *OML N*^{m}*XC*: «illyrici equitius comes» (etiam cum discrepantiis) *ABFPNQTD*. Mutata lectio in *APN, BQ, FD,* et *T* inuenitur: lectio prisca in *OM, L, XC*. Vtrum Hieronymus an antiquus aliquis corrector lectionem mutauerit incertum est, sed si correctoris lectio est, contaminationem ponere necesse est.

(IV) 329, 10 «melanius . . .» in calce paginae, iusto loco ·/. designato, habet *P*: in iusto loco capitalibus rusticis *C*: in textu sine nota habent ceteri. Hoc lemma ab Hieronymo ipso erasum esse scribit Rufinus.[2] Sed hanc auctoris correcturam uix in ullos codices irrepsisse manifestum est, nec ulli codicum generi communem esse.

(V) 330, 17 «florentinus . . .» ad calcem paginae habent *PN*: omittit *Q*; ibidem, 19, pro «florentinus» habent *PN* «rufinus»: deest *L*. Ceteri «florentinus» utraque uice habent. Forsitan scripsit Hieronymus, quod Schoene credit, «rufinus», et postea aliis in codicibus lemma erasit, in aliis «florentinus» substituit. Ergo, hac posita hypothesi, *S* sed non *A* lectionem pristinam retinuit, *Q* sed non *B* lemma omisit. Nulla tota familia a maiore numero dissidet.

---

[1] pp. 117—150 et passim.

[2] *Apol.* II, 26 apud Migne, *Patrologia Latina*, XXI (1849), 605.

Si has lectiones perscrutari libet, non bis inuenietur eadem codicum diuisio; in (I), (II), (III) enim editio ista Romana nouam lectionem praebet; in (IV) nullus nisi *PC* uestigia correcturae seruat; in (V) *S* solus (*i. e.* qui e *S* descripti sunt) contra *A* et ceteros lectionem ueterem habet. Non nisi in (I) et (III) tota familia a tota familia discrepat. Quae omnia non tam editiones quam contaminationes arguunt. Hieronymum aliqua in ultimis praecipue paginis suorum exemplarium mutasse, teste Rufino, probabile est; nouam editionem numquam protulit.

Potius confitendum est, quod Hieronymus ipse scribit,[1] Chronica Hieronymiana tumultuarium opus fuisse. Quae notario uelocissime dictauit,[2] numquam prorsus sua manu recensuit. Errores qui stuporem mouent non paucos enumerat Scaliger in Prolegomenis. Orthographia codicum meliorum in hac editione usus sum. Quae si sibi minus congruit, librariorum forsitan potius quam aut interpretis aut editoris culpa fit. Quis enim, cum huius generis opus dictaret, fila longa regnorum iusto ordine dictare potuit? Credendum est librarios paginarum ordinem et regum nomina magna ex parte ex Graecis Chronicis transtulisse, Hieronymum minima diligentia ordinem redegisse et lemmata dictasse. Non quae scribere debuit, sed quae scripsit notarius, edere conor.

NON NVLLA DE CANONIBVS GRAECIS.

Itaque ad Chronica Graeca reuertor. Nec dubito quin Hieronymus formam et ordinem Canonum Graecorum in parte priore conseruauerit. Quo modo enim uelocissime dictare posset, nisi rerum ordinem summa cura librarii conseruassent? Filis enim non interruptis nisi ut regum accessiones notarentur et maiores adnotationes chronologicae insererentur, potuit Hieronymus, parua scriptura in spatiis historicis usus, quicquid uellet addere nec tamen ordinem Canonum turbare. Sed in posteriore parte necessario cuiusque anni spatium regebat longitudo interpretationis et, ubi aderant, additamentorum. In hac igitur parte uidetur Hieronymus formam imitatus esse potius quam paginarum discrimina conseruasse. Hoc quoque animaduertendum est: Eusebium in Canonum parte priore res sacras et profanas in alternis paginis scriptas opposuisse. Hoc procul dubio dicere uoluit apud *Ecl. proph.* 1,[3] Χρονικοὺς συντάξαντες κανόνας ἐπιτομήν τε τούτοις παντοδαπῆς ἱστορίας Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων ἀντιπαραθέντες. Hunc ordinem retinet Hieronymus paene semper in eis lemmatibus quae certum est eum ex Eusebio sumpsisse, in omnibus uidelicet quae usque ad Troiae captiuitatem continentur, post quam ea saltem Eusebii esse ducimus quae in chronicis recentioribus aut Graecis aut Syriacis et quae in uersione Armeniaca inueniuntur. Haec in propria pagina suum quicque locum uindicant. Sed Hieronymus ea quae de Romana praecipue historia addidit, per utram-

[1] p. 2ª, 2, 3.

[2] p. 2ª, 5—7.

[3] Migne, *Patr. Graec.* XXII (1857), 1024 A.

que paginam disposuit, unde patet oppositionem illam non Hieronymi, sed Eusebii esse. Vbi tamen historia sacra paene desinit et profana maiorem amplitudinem poscit, exinde duo spatia in unum comprimit Hieronymus, et, nisi fallor, compressit iam Eusebius. Longe aliter fecit interpres Armeniacus, qui, spatiis duobus historicis in duobus marginibus et apud priorem et apud posteriorem partem factis, res profanas sine discrimine per utramque paginae oram disposuit: idem res sacras multo saepius in sinistra quam in dextra ora exhibuit.

Constat hodie Hieronymum formam et ordinem Canonum Graecorum satis fideliter reddidisse, sed non raro asseritur interpretem Armeniacum priore quadam editione, posteriore autem Hieronymum et monachum illum Syriacum, quem olim Dionysium Telmaharensem falso nominabant editores, usos esse. Schwartz[1] quidem duas Canonum Graecorum editiones ponit, quarum prior tantum Eusebii fuerit, posterior autem fons uersionum nostrarum. Eorum qui hanc quaestionem tractauerunt, longe peritissimus in studiis Eusebianis erat Aluredus Schoene, cuius argumenta in opusculo eius[2] exstant. Hoc quidem constat, Eusebium Chronica sua ante annum 310 scripsisse; haec enim apud *Eclogas propheticas*[3] anno 310 scriptas[4] citat. Sed apud uersionem Armeniacam[5] bis fit mentio Constantini uicennalium, id est anni Domini aut 325 aut 326; et usque ad eundem annum Chronica scripsisse Eusebium testatur Hieronymus,[6] unde certum est Eusebium Chronica iam finita ad hunc annum produxisse. Sed aliud est producere, aliud redigere. Si ergo uis scire num uersiones Armeniaca et Latina de eodem fonte ortae sint, discrepantias inuestigare necesse est. Quisquis autem uersionem Armeniacam recte aestimare uult, semper in mente teneat textum eius e duobus codicibus inter se genere coniunctissimis pendere, quos constat et unum et alterum circa annum 1300 scriptos esse.[7] Secum reputet quantum eius aetatis codices Hieronymiani ordinem transmutent, tempora confundant, textum incertissimum praebeant. Si talia uersioni Armeniacae acciderunt, dubitare debemus non modo quantum interpres auctorem, sed etiam quantum librarii interpretem immutauerint.

Maxime discrepantiarum omnium ea ualet quae in chronologia episcoporum Romanorum uersatur, de qua re uiri plurimi et doctissimi,[8] quos hic nominare non necesse

[1] Pauly-Wissowa, *Real-Encyclopädie*, VI (1909), 1381—1384.

[2] *Die Weltchronik des Eusebius*, pp. 256—275.

[3] *Vbi supra.*

[4] Vide quae scripsit Schwartz, *ubi supra*, 1375.

[5] ed. Karst, pp. 34, 62.

[6] p. 313, 12.

[7] Karst in editione, p. XI.

[8] Cum haec uerba scribebam, scribebat de eadem re, quod eo tempore non noueram, uir doctissimus, Cuthbertus Turner. Legantur eius opuscula in *Journal of Theological Studies*, XVII (1916), pp. 338—353, et XVIII (1917), pp. 103—134, ubi honoris causa nominantur Theodorus Mommsen, Ricardus Lipsius, Ludouicus Duchesne, Josephus Lightfoot. Sed in his opusculis Turner uersionem Armeniacam non tractat; Hieronymum ualde et iuste praefert.

est, scripserunt. Horum episcoporum successiones ponit uersio Armeniaca aliquot annis — numquam amplius octo — superius quam Hieronymus, Anterote et Fabiano exceptis quos utraque uersio ad annum primum Gordiani collocat. Neque in temporibus modo, sed etiam in annis cuique episcopo propriis saepius discrepant. Vnde liquet aliquem hanc seriem ignotam ob causam immutauisse. Nec dubitari potest quin ordo Hieronymianus, quem et Eusebius in Historia Ecclesiastica et anonymus ille monachus Syriacus conseruant, prius quam ordo Armeniacus in Chronicis canonibus exstiterit. Inuenitur enim in codice Armeniaco Etchmiadzinensi ad annum II Titi Antonini lemma quoddam, quod Hieronymus sic interpretatus est: «sub Hygino Romae urbis episcopo Valentinus heresiarches et Cerdo magister Marcionis Romam uenerunt». Hoc autem lemma eundem inter alia lemmata locum in illo codice atque apud Hieronymum habet; Hieronymus tamen, quod minimi refert, hoc III, non II, anno Titi Antonini memorat. Sed idem codex Etchmiadzinensis successionem Pii, qui post Hyginum episcopatum tenuit, iam ad annum primum Titi Antonini ponit: codex Armeniacus Hierosolymitanus successionis anno seruato lemma «sub Hygino . . .» ad annum postremum Hadriani mouit. Quis ergo dubitabit quin, quisquis is erat qui episcoporum successiones redegit, hoc lemma in loco suo Hieronymiano inuenerit et ibidem reliquerit, quamquam is locus seriei episcoporum, quae in uersione Armeniaca habetur, male congruit? Vnde colligi potest canones pristinos Hieronymianam Romanorum episcoporum chronologiam praestitisse.

Secundo loco arguuntur Chronica Hieronymiana annos regales quos in filis exhibent ad series regum quae in appendice Chronographiae inueniuntur accommodasse. Sed propius ueritati est, Eusebium eandem chronologiam in utraque parte exhibuisse, quam credo librarios omnium linguarum corrupisse, quapropter codices Armeniaci ut multo recentiores chronologiam deteriorem exhibent quam nostri boni codices Hieronymiani. Si quis enim apparatum meum perscrutari uult, tot annorum regalium discrepantias inueniet ut facile intellegere possit errores tales uersioni neutri proprios esse.

Discrepantias octo plenius tractauit Aluredus Schoene:

(1) *Anni regum quos ab initio, anno uidelicet Abrahae 344, exhibent codices Armeniaci non congruunt annis quos exhibet Hieronymus.* Cui respondeo discrepantias tales etiam in codicibus Hieronymianis ubique inueniri.

(2) *Post Troiam captam in uersione Hieronymiana incipit filum Aegyptiorum uno anno prius quam cetera fila: in uersione Armeniaca incipiunt omnia fila pariter.* Sed idem ordo quem uersio Armeniaca habet, inuenitur etiam in codicibus nostris *FTXDC*: quod in his oriri potuit, potuit etiam in illa.

(3) *Olympias prima in uersione Armeniaca anno Abrahae 1240, apud Hieronymum anno 1241 assignatur.* Hic errat Schoene, annus enim 1240 in utraque uersione legitur.

(4) *Anni Abrahae ab accessione Seueri usque ad finem Canonum aut uno aut pluribus annis superius stant in uersione Armeniaca quam apud Hieronymum.* Sed tali in re ut supra uisum est optimi etiam codices Hieronymiani multum inter se discrepant.

(5) *Chronica anonymi Syriaci congruunt melius Hieronymo quam uersioni Armeniacae.* Hoc demonstrat lectiones utrique communes ab Eusebio ipso ortas esse; non demonstrat duas editiones. Valet argumentum contra eos qui uersionem Armeniacam omnino Hieronymo praeferebant.

(6) *Diluuium . . . fuerunt (61, 23—63, 1 huius editionis) perperam in duo lemmata diuidunt et Hieronymus et monachus ille anonymus Syriacus, unde patet utrumque archetypo eodem Canonum Eusebianorum usum esse.* De hoc non disputari potest.

(7) *Non numquam praestat Hieronymus uersioni Armeniacae et maxime p. 300 nostra, ubi Babylae et Fabii mentionem facit Hieronymus sub Decii anno primo, uersio Armeniaca sub Galli anno primo.* De hoc quoque non disputandum est.

(8) *Filum Mycenatium habet Hieronymus, omittit uersio Armeniaca. Eidem apponit Hieronymus tres annos post Troiam captam, quibus nihil in filis ceteris coaequatur; regum Mycenatium annos exhibet Eusebius in Chronographia usque ad descensum Heraclidarum, filum exhibet Hieronymus in Canonibus usque ad Troiam captam tantum modo.* Colligit Aluredus Schoene Eusebium hoc filum ex Chronographia posteriori suae editioni inseruisse, nec bene filis ceteris accommodasse, nam, ut demonstrat, hoc filum non potuit addere Hieronymus, quia annorum seriem bis[1] eius causa interrumpit, et idem eam annorum seriem, quam in archetypo inuenerat, summa cura conseruauit. Sed omissiones Armeniacae prope nihil ualent; non modo enim Mycenatium, sed etiam Medorum reges qui ante Deiocem fuerunt omittit uersio illa, quamquam hi in textu Chronographiae[2] et in regum serie[3] continentur et quamquam Assyriorum tempora non nisi per horum Medorum tempora definiri possunt. Vnde colligo redactorem aliquem, siue casu siue fonte aliquo non Eusebiano usum, hos reges, quamuis chronologiae Eusebianae necessarios, omisisse. Forsitan redactor idem episcoporum Romanorum tempora extraneo de fonte hausit.

Cedatur Eusebium unam tantum editionem prodidisse, unde uersio utraque descendit. Restat ut perpendatur quod Eduardus Schwartz proposuit, Canones ab imperito quodam ante corruptos esse quam uerterentur. Arguit ille non fila et lemmata corrupta esse, sed ipsum ordinem annorum et lemmatum contemporalium quem canones nostri conseruant redactoris illius opus esse. Quam opinionem tam audacem ideo proponit, quod Chronica nostra errores Eusebio indignos contineant. Opinionem suam nouissime apud Pauly-Wissowa[4] exposuit.

Primo citat Chronographiam,[5] ubi id interuallum quod inter xv Tiberii annum et Constantini uicennalia elapsum erat, annorum facit ccc, quod, ut recte monet Schwartz,

[1] p. 89, 9—11 et p. 95, 25, 26.

[2] ed. Karst, p. 32.

[3] Ibid., p. 152.

[4] *Real-Encyclopädie*, VI (1909), 1381—1383.

[5] ed. Karst, p. 62; potuit citare et p. 34.

falsum est. Hoc quidem interuallum secundum canones Hieronymianos CCXCVIII tantum annos, si ad uicennalia Nicomediensia numerantur, continet, uel, si ad uicennalia Romana, CCXCVIIII, qui, si inclusiue supputantur, fiunt CCC. Sed re ipsa praeterierunt CCXCVI tantum anni a XV Tiberii usque ad uicennalia Nicomediae acta, CCXCVII usque ad uicennalia Romana. Accedit quod Syncellus[1] scribit Eusebium $\overline{\text{II}}$CCCXLII annos ab Abraham usque ad Constantini uicennalia posuisse, quod congruit cum canonibus Hieronymianis, ubi eadem uicennalia Nicomediae acta ad annum Abrahae $\overline{\text{II}}$CCCXLII posita sunt. Sed hunc annum scribit Schwartz anno nostro 326—7 aequum fuisse, uicennalia autem Nicomediae anno 324—5 acta esse. Qui quid sibi uult? Nec annis nostris nec annis Abrahae utebantur ei qui illo tempore uitam agebant; imperatorum annis utebantur. Si ergo XX annus Constantini uere 324—5 erat, idem annus 324—5 $\overline{\text{II}}$CCCXLII Abrahae Eusebii ratione erat. At is annus apud Canones tertio olympiadis CCLXXVI coaequatur, qui annus re ipsa 326—7 noster erat, unde colligo Eusebium interuallum quod inter imperatores antiquos et Constantini XX erat annis duobus maius quam debuit fecisse. Tempus suum iustis imperatoris annis definiuit, sed de olympiadum annis, quos ex historicis non usu cotidiano nouerat, errauit. Non ergo, quod scribit Schwartz, annus ille Abrahae errorem de suae aetatis temporibus in Eusebii textu arguit, sed nihil nisi errorem de eo interuallo quod antiquos imperatores ab ipsius tempore distinebat.

Porro contendit Schwartz: canones nostros Diocletiani accessionem ad annum I olympiadis CCLXVI ponere, qui anno nostro 286—7 recte coaequatur; accessionem autem illam duobus annis antea accidisse. Eusebius tamen, ut admonet idem, uerum tempus accessionis illius nouerat, nam in Historia Ecclesiastica[2] persecutionis initium XVIII Diocletiani anno recte collocat. Sed persecutio illa initium habuit mense Martio anni 302—3, unde concludit Schwartz Eusebium non ignotum habuisse annum primum Diolectiani iuste anno 284—5 coaequari. Colligit ergo hunc temporis errorem non Eusebii esse, sed, quod error iste praesenti canonum formae cohaeret, formam ipsam canonum ab aliquo recentiore et minus docto elaboratam esse. Sed quid demonstratum est? Hoc tantum canonum seu scriptor seu redactor nescit, cui imperatoris anno hic uel ille olympiadis annus congruat. Postea demonstrare conatur Schwartz Eusebium id interuallum quod Diocletianum ab Augusto distinebat notum habuisse. *Hist. eccl.* I. 5, 2 cum VII. 32, 32 comparat; nam in illo loco Christi natiuitatem anno Augusti XLII et post Antonium et Cleopatram XXVIII collocatam inuenit; in hoc inter Christum natum et persecutionem illam interuallum CCCV annorum refert. Illum annum anno 3—2 ante Christum Dionysianae supputationis coaequat, qui annus CCCIIII annis, uel, si inclusiue supputatur, CCCV persecutionem, quae sub Diocletiano erat, antecedit. Sed hic errat

---

[1] ed. Dindorf, p. 64, 13.

[2] VIII. 2, 4.

Schwartz, nam annus ille Augusti non anno 3—2 ante Christum natum, sed anno 2—1 iuste coaequatur, qui annus CCCIII tantum annis persecutionem illam antecedit. Sed huic interuallo dat Eusebius non modo in Historia sed etiam in Canonibus CCCV annos, unde colligo eundem auctorem eundem errorem et in Canonibus et in Historia commisisse.

Minores quasdam discrepantias citat Schwartz, e quibus plerasque apud Pauly-Wissowa non repetit, sed in opusculo quodam antiquiore[1] legendas exhibet. Ex una disce omnes. Assyriorum regibus Eusebius MCCXL annos dat,[2] et ab Assyriorum regni fine usque ad olympiadem primam annos ponit XL.[3] Ergo ab anno primo Nini usque ad ol. I, 1 debuerunt esse anni MCCLXXX; sed ol. I, 1 secundum uersionem Hieronymianam est Abrahae annus MCCXLI, unde colligitur Abrahae annum primum secundum iustam computationem Nini XLI esse, non, ut in canonibus Hieronymianis scribitur, Nini XLIII. Eusebium a se discrepare non posse arguit Schwartz; quapropter colligit redactorem hanc discrepantiam induxisse. Haec quidem concedenda sunt: quamquam Eusebius et in Chronographia et in Canonibus Assyriorum regum summam annorum MCCXL scribit, summa tamen annorum qui in Canonibus continentur MCCXXXVIII tantum fit; et quamquam uersio Chronographiae Armeniaca XL annos inter Assyriorum regni finem et olympiadem primam ponit, XLIII tamen anni in canonibus Hieronymianis continentur. Si talis erroris non capax erat Eusebius, Canones non possunt Eusebii esse. Sed si non omnino inter se congruentia scribere poterat, non est cur eum auctorem non accipiamus. Schwartz autem, cum ex Excerptis Barbari uerum Eusebii textum elicere conatur, cumque Atheniensium reges simili cura perscrutatur, non nos lectores habebit.

Maxime autem fretus est Schwartz episcoporum catalogis, quorum duo tantum, Alexandrinorum scilicet et Romanorum, episcopatuum et imperatorum annis in Historia Ecclesiastica elaborati sunt. Credit Schwartz Eusebium ita fontibus suis fidum fuisse ut quos numeros inuenerat descripserit, quosque non inuenerat numquam additione simplici suppleuerit. Quibus imperatorum annis episcopatum susceperint Alexandrinorum Marcus, Celadion, Theonas, necnon quot annos sederit Cerdo tacet Historia Ecclesiastica, non tacent Canones. Colligit Schwartz hos annos suppleuisse redactorem. Sed quisquis catalogum, ut in Historia Ecclesiastica continetur, inspicere uult, statim uidebit Eusebium non unam normam seruasse, sed hic alia, illic alia uerborum coniunctione usum esse. Vnde minime admirationem mouet quod Eusebius imperatorum uel episcoporum annos, quos sciebat, non numquam neglexit. Citat etiam Schwartz Petri episcopatum quem ad Diocletiani annum XVIII ponunt Canones,[4] ad eum uidelicet annum quo persecutio

---

[1] *Die Königslisten des Eratosthenes und Kastor mit Excursen über die Interpolationen bei Africanus und Eusebios, Abhandlungen der königlichen Gesellschaft zu Göttingen,* XL (1894/5).

[2] Chronographia, ed. Karst, p. 32; Canones, p. 142, 9, infra.

[3] Chronographia, ubi supra.

[4] p. 309, 21.

incepit. Sed in Historia Ecclesiastica scribit Eusebius eundem tres annos ecclesiae praesedisse ante persecutionem. Vide autem Theonae accessionem quam ponunt Canones ad Probi annum VI et quem scribunt annos sedisse XVIII. Vnde sequitur ut Petri accessio non ad annum XVIII, sed ad annum XVII Diocletiani recte pertineat, qui annus cum Historia Ecclesiastica satis congruit. Per incuriam ergo lemma ad annum XVIII positum est. Nihil scio cur Eusebium talis erroris incapacem ducamus.

In episcoporum Romanorum catalogo similes discrepantias citat. Nulla enim, ut scribit, in Historia Ecclesiastica mentio fit quibus annis Vrbanus et ei qui post eum Romae sedebant episcopi episcopatum susceperint. Eandem omissionem de Pio et Aniceto citat. Haec quidem paene uera sunt, sed de Anterote, Fabiano, Cornelio, imperatorum anni non re ipsa celantur. Nam in Historia Ecclesiastica[1] haec uerba inuenimus: Γορδιανοῦ δὲ μετὰ Μαξιμῖνον τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν διαδεξαμένου, quae Gordiani annum primum definire uidentur, et rursus:[2] Ἀλλὰ γὰρ Φίλιππον ἔτεσιν ἑπτὰ βασιλεύσαντα διαδέχεται Δέκιος, ὃς δὴ τοῦ πρὸς Φίλιππον ἔχθους ἕνεκα διωγμὸν τῶν ἐκκλησιῶν ἐγείρει, ἐν ᾧ Φαβιανοῦ ἐπὶ Ῥώμης μαρτυριῳ τελειωθέντος Κορνήλιος τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται, quae Decii annum primum et solum luce clarius definiunt. Quod ad Fabianum attinet, ut memorat Schwartz, Eusebius non modo de accessionis anno, sed etiam de episcopatus annis in Historia Ecclesiastica silet. Hos omnes supplent Canones, qui sua uice de Xysto eius nominis secundo nullam mentionem faciunt. Hunc ultimum, qui in uersione Armeniaca memoratur, Hieronymum per errorem omisisse suspicor.[3] Memorare neglexit Schwartz Hieronymum Zephyrini annos omisisse. Vbi autem Eusebius siue in Historia Ecclesiastica siue in Canonibus interdum numerum aliquem omisit, respondeo idem quod supra, nullam hic certam mentionis rationem inueniri. Scribit praeterea idem Schwartz imperatorum annos quibus quisque episcopus episcopatum susceperit, ut apud Hieronymum inueniantur, redactoris opus esse, qui annos illos ad episcopatuum annos accommodauerit. Quibus respondeo annos minime accommodatos esse, melius enim secum congruunt qui in Historia quam qui in Canonibus continentur.

Increpat etiam Schwartz canones nostros quod auctor episcopis Antiochenis tempora certa attribuere ausus sit, quae tempora Eusebius in Historia Ecclesiastica non nouisset. Sed, ut chronographus, nihil nisi sub anno aliquo certo scribere potuit, et demonstrauit Hort[4] episcoporum Antiochenorum tempora, ut in Canonibus habentur, non proprio de fonte hausta esse, sed episcoporum Romanorum temporibus coaequata.

Sed se ipsum superat Schwartz ubi memorat in Historia quidem Ecclesiastica Eusebium scripsisse se episcoporum Hierosolymitanorum quindecim qui Aeliam conditam

---

[1] VI. 29, 1.

[2] VI. 39, 1.

[3] Cuthbertus Turner credit Hieronymum Xystum omisisse ne nimis chronologia perturbaretur, *Journal of Theological Studies*, XVII, p. 346.

[4] Apud Lightfoot, Apostolic Fathers, part II, S. Ignatius, S. Polycarp, vol. II, sect. I (1885), pp. 461—465.

antecessissent tempora non nouisse eosque igitur una serie enumerauisse; in Canonibus autem auctorem eosdem in duas series diuisisse. Quibus respondere superuacaneum est.

Haec igitur pro certis teneo: Eusebium Canones suos continuasse, sed non redegisse: Hieronymum Eusebium germanum interpretatum esse, expleuisse, continuasse; Hieronymum Canones semel tantum edidisse, nisi quod non numquam pauca immutauit.

TEXTVS ET APPARATVS NOSTRI RATIO.

Restat ut exponam quae significent ea characterum discrimina et ea sigla quae in textum et apparatum introduxi. Quapropter quaedam quae in praefatione iam scripsi, hic repetenda sunt.

Characteres minores nostri characteribus minoribus Canonum ipsorum respondent; sed, quamquam in codicibus talis scriptura modo latius modo densius ordinatur, in hac editione duabus lineis scripturae minoris idem spatium uerticale apponitur quod uni lineae scripturae maioris. Lineas scripturae maioris in margine numeraui, quod non fecit Hieronymus. Linea quaeque scripturae minoris in superiore parte annui spatii scripta ad eundem annum refertur, ad quem referretur, si in inferiore parte eiusdem spatii scripta esset. Lemma quodque ad eum annum refertur qui in ea linea notatus est in qua id lemma incipit; ubi nullus in ea linea annus notatus est, ad annum postremum refertur qui ante eam lineam notatus erat. Vbi in textu characteras crassos, uel, ut nuncupantur, Aegyptiacos, inuenies, his scripturam rubram repraesentari crede: ubi characteras uulgares, nigram fuisse scripturam noueris. Paginarum discrimen idem quod Hieronymus habebat seruare conatus sum. Si quando incertum est utrum uerba aliqua ad paginae prioris finem an ad posterioris initium pertineant, nihil refert. In praefationibus paginarum discrimen incertius est. Ea in parte codicem *N* secutus sum. In linearum discrimine codices antiquissimos et praecipue *O* secutus sum, quoad per paginarum discrimen licitum est.

In quaque pagina Canonum apparatus bifariam diuisus est. Pars superior temporum, pars inferior uerborum discrepantias monstrat. Quod ad tempora attinet, omnes codicum meorum discrepantias notaui.

In apparatus parte superiore lineae nostrae numerus charactere crasso notatus est; accedit ut lemma quodque uerbo suo primo distinctum sit. Inde notatum est ad quod filum et quem annum id attribuant codices. Id filum notaui quod ad latus sinistrum cuiusque lemmatis stat; sed, quoniam codex *X* per maiorem libri partem lemmata non inter fila habet, hic codex sub eo filo citatur ad quod in hac editione lemma apponitur. Vbi aut titulus aut olympias in eo filo, quod ad lemmatis latus sinistrum adstat, posterius quam anni numerus, sed non posterius quam lemma ipsum notatur, idem titulus olympiasue in apparatu anni praecedentis uice notatur. Vbi non plures tribus codices

a textu discrepant, ei non citantur qui cum textu congruunt. Exempli gratia uide p. 128. Incipit lemma ad l. 12 «apud . . .» Hoc ad annum v Hebraeorum Iuda regis Iosafat ponunt codices *AFPNQT*, ad annum eiusdem 1 (qui in hac editione quattuor lineas continet) codex *L*, ad annum IIII (qui in hac editione tres lineas continet) codices *OX*, ad annum VI codex *B*, omittunt codices *MDC*. Eadem in pagina ea verba quae ad l. 15 incipiunt, « pseudoprofetae . . . » dico, sunt apud codicem *F* non pars eiusdem lemmatis, sed lemma distinctum quod ad annum X Hebraeorum Iuda regis Iosafat incipit: quod in apparatu his uerbis enuntiaui: 15 pseudoprofetae . . . *separatim* Hebr. Iud. 10 *F*. Sed quia codices lemmatum discrimina saepe parum distinguunt, talia discrimina non saepe notaui. Non numquam difficile est definire ad quam lineam lemma aliquod incipere librarius uoluerit, unde possunt editores alii annos alios in apparatu praebere; sed multo saepius fit ut editores, seu per incuriam seu quod ordinis rationem parum intellexerunt, annum falsum edant.

In apparatus parte inferiore eorum codicum discrepantiae qui in quoque loco antiquissimi sunt, memorantur omnes. Vbi unus tantum codex recentior a textu discrepat, lectionem non notaui nisi aliquid interesse uidetur. Vbi duo codices discrepantias uarias exhibent, eandem normam seruaui. Discrepantiae codicum trium uel plurium necnon duorum inter se congruentium paene semper notantur. Orthographiae discrimina non minus quam uerborum citaui, nam inter tot nomina barbara et difficilia, multo saepius orthographia quam uerba ipsa codicum auctoritate definienda est. Vbi quemquam codicem citaui, omnes qui a textu discrepant citaui, sed ubi non plures tribus a textu discrepant, nullum praeter discrepantes citandum duxi. Littera *m* supra scripta, e. g. N^m ad p. 128, 4 et passim, aut marginalem significat lectionem aut saltem lectionem uariam apud codicem alibi quam in textu inuentam. Exempli gratia ad p. 128, 4 « achaab » habet *N* in textu, sed etiam lectionem uariam « calab » notat. Correcturas omnes notare superuacaneum duxi. Harum multo maiorem partem fecerunt scribae ipsi, et saepissime uerbum ante correxerunt quam finierunt. Vbi ergo non dubium est quin correctura a scriba ipso facta sit et lectio ea quam correxit non multum per se interest nec in codicibus aliis seruata est, lectionem emendatam solam exhibui: sed ubi manifestum est correcturam a manu multo recentiore factam esse, e. g. a manu quae circa annum 1400 codici *O* marginalia addidit, correcturam neglexi. Correctorum manus distinguere minus saepe licet, quapropter has saepissime non per numeros distinguendas putaui, sed lectiones et pristinam et emendatam ad codicem rettuli. Exempli gratia uide eandem paginam 128, 25, ubi lectionem « athenensium » in « atheniensium » emendatam praebet codex *N*, quod uerbis « athenensium, *corr.* atheniensium *N* » significaui. Correcturae rationem, utrum per lituram an per rasuram an litteris una uel pluribus perstrictis facta sit, non memorandam duxi. Si quis haec minima accuratius scire uult, omnia in bibliotheca Bodleiana reperiet: ibi enim codices *OS* phototypice editi habentur: ibi etiam exemplaria mea photographica codicum *ABMFPNQTXDC* hoc opere finito deponere statui.

Additamenta, nisi aliter indicatum est, post uerbum proxime praecedens in apparatu notantur, e. g. p. 263, 4, « facta est » in *X* post « famis » legitur. Sed ubi lineae numerus, non uerbum, additamenti mentionem proxime praecedit, intellegendum est illud additamentum post lineae finem haberi; sic, p. 263, 22, *XC* « suae » post « aetatis » habent.

Hanc praefationem Oxonii Ianuario MCMXVII finitam, praeceptori meo Georgio Rodney Scott, Collegii Mertonensis olim socio, quod ad Latinitatem attinet, castigandam summisi. Eandem anno MCMXIX rescriptam, uiro in Latina lingua doctissimo, Heathcote Gulielmo Garrod, eiusdem collegii socio rursus summisi. Eandem, qua est comitate, perlegit Gulielmus Kubitschek, uir studiis chronographicis peritissimus, quo suadente, non nulla uerba mutaui. Quibus utinam debitas gratias agere possem.

Hic liber partim Academiae Oxoniensis, partim Collegii Beatae Mariae Magdalenae apud Oxonienses, partim uxoris meae, partim meis ipsius sumptibus impressus est. Qui auxilium dederunt eis gratias dum uiuam agam. Impressit Adolphus Holzhausen Vindobonensis, cuius merita eo minus mihi laudanda sunt, quod lectori ubique patent. Nemo autem me magis in toto opere adiuuit quam uxor mea, quae codicis Mertonensis ipsa exemplar photographicum fecit, scripturae colores e codice Bongarsiano notauit, omnium codicum lectiones, ut in exemplaribus photographicis habebantur, cum apparatu meo contulit, partem magnam libri transcripsit, indicem nominum addidit, mecum Vindobonam migrauit, ibique impressoris scidas iterum iterumque perlegit, nihil quod librum perfectiorem facere potuit neglexit, cui laborum et uitae pariter consorti, tam amore quam officio uinctus immortales gratias et nunc et per totam uitam ago agamque.

Vindobonae scribebam mense Octobri MCMXXII.

I. K. FOTHERINGHAM

CORRIGENDA IN HOC OPERE

p. 7, 6: *in textu* pro « Aesculapio » lege « Aescolapio ».

p. 7, 21: *in textu* pro « CCC » lege « CCCL ».

p. 7, 6: *in apparatu inferiore* pro « scolapio . . . x » lege « **aescolapio** *APN* : scolapio *BU* : aesculapio *MQDC* : hesculapio *F* : escolapio *T* : ac scolapio *X* ».

p. 47: *super apparatum* insere « **6** secundum . . . Arg. 20 *L* ».

p. 51, 12: *in app. inf.* pro « Σπείραντος » lege « Πείραντος ».

p. 151, 24: *in app. inf.* post « **lacedaemoniorum** » adde « *per errorem aut Hieronymi aut notarii eius* ».

p. 196, 4: *in textu* pro « tragoeco » lege « tragico ».

p. 196, 4: *in app. inf. M* legit « tragicus, *corr.* tragycus ».

p. 197, 9: *in app. inf.* pro « atlhlante » lege « adhlante, *corr.* athlante ».

CORRIGENDA IN OPVSCVLO

« THE BODLEIAN MANUSCRIPT OF JEROME'S VERSION OF THE CHRONICLE OF EUSEBIUS » INSIGNITO.

p. VI, ll. 7, 12, 15: Pro « Bibliotheek der Universiteit » lege « Universiteit's Bibliotheek ».

p. VI, l. 14: Ante « Montpellier » praefige « Rome, Biblioteca Vaticana, Reg. 560 R, a copy of ».

p. 3, ll. 3, 2 *ab infra*: Dele « I see . . . older MSS. ».

p. 4, l. 17: Pro « 627 » lege « 624 ».

p. 4, l. 2 *ab infra*: Ante « This statement » praefige « According to Schöne ».

p. 5, ll. 13, 14: Dele « The latter . . . Fabritianus (Fab.) ».

